

B. N. C.
FIRENZE
1140
9



1140. 9,

A

THE
UNIVERSITY OF CHICAGO
M. R. L. 1911



IOAN. ANTONII

81

VIPERANI:

DE BELLO MELITENSI
HISTORIA.



ARBORE



LATET

OPACA



1721
PERSIAE.

EX OFFICINA ANDREAE BRIZIANI
M. D. LXVII.



IOHN ALEXANDER


VIZIARI

OF THE HISTORY
OF THE

1705

Hoc Opusculum imprimi posse concedimus: ad cuius fidem me subscripsi,
Marcus Antonius Gryfaldus Pro Vic.

Opusculum hoc tanquam pium, & catholicum approbamus, & pro cō-
muni commodo impr. mendum censemus. F. Nicolam Alexium Peru-
sinus Sanctiss. Inquisitionis Commissarius.



EX OFFICINA ANTONII GRIFALDI
M. D. C. C. V.

IOANNI AVSTRIO

CAROLI V. IMP. F.

Io. Antonius Viperanus S.



I Quod vnquam bellum gestum est memorabile, hoc profecto mihi dignū videtur publicis monumentis: quod a Turcistotis viribus illatum equites Melitenfes maiore virtute propulsarunt. Bellum sane magnum, sæuum, & anceps, si contempleris ingentem classem

turcarum, & apparatus, acerrimam oppugnationem, præliorum multitudinem; quorum frequentia, & diuturnitate nunquam respirare potuerunt. Nec obsidio magis ea, quam oppugnatio dicenda, cuius temporis spatium dimicando consumptum est. Ac illa quidem negligentior sæpe fuit, atq; remissior; hæc acrior semper, atq; contentior. Feriebantur vsq; mœnia, turres, arces vndiq;: singulisq; diebus mille sere tormentorum bombi exaudiebantur. Ipsa porro tormenta ingentioris molis, & admirandi ponderis, ac figuræ. Neq; vlla propugnacula, & munimēta fuere, quæ vim eorum diu sustinuerint. Nullis neq; nauigijs, neq; tectis parcebatur: tantamq; in eos, quos cepissent, crudelitatem exercebant contra omne ius belli, omnemq; humanitatem, vt maioribus illos odijs certasse, quam viribus dixeris. Non de imperio, non de dignitate vlla pugnari videbatur; sed internecinū bellum erat, in quo nulla præmia victoriæ, sed extrema supplicia petebantur. Martem vero ita varium, & ancipitem vidimus spe pariter, & metu pugnantium vtrinq; animos immiscentem; vt in dubio sæpè res fuerit, ad quos potissime inclinaret. Tandem præter omnium spem, & opinionem victi abire, fracti, contusiq; quibus ne staret

victoria vehementer timebamus. Atq; hoc certe clarior equitum Melitensium virtus, & gloria, quo minor obfistentium numerus fuit, & ad tuenda plura loca diuifa hæc ipsa militum paucitas. Ad hæc ipsa loca aperta hostium oppugnationibus, & tormētorum iaculationibus perquā opportuna. Tum perrupta, & continentibus ruinis æquata mœnia: quę omnibus ex locis facilem introrumpere volentibus aditum ostendebant: vt cum cæteris rebus inferiores fuerint, vna tamen virtute turcis superiores extiterint. Sed laudandum est quoq; studium Philippi regis, fratris tui: cuius auxilijs Melita extremo periculo liberata est. Nec mortalibus ita omnia tribuo, vt non bonam victorię partem, immo vniuersam ad diuini numinis prouidentiam, & benignitatem transferam. Siquidem in manu Dei finis est belli: atq; ille militibus Hierosolymitanis ita præfens hoc bello adfuisse videtur, vt non nisi ope cœlesti seruari eos potuisse credatur. Et cum multis alijs in bellis, tum in hoc aperte cognoscimus Christianorum militum fortitudinē, si cum pietate, & religione coniungatur, nulli superabilem fore. Quod si externa bella ad ciuiliū rerum cognitionem, & prudentiam legimus (cuius rei gratia instituta est historia) & legenda sunt etiā domestica, eo certe libentius, quo magis ad nostros mores, & vsum quotidianę vitę faciunt. præsertim vero ea, quę cum barbaris Christianę disciplinę aduersarijs pro vero Dei cultu, & religione gesta sunt: e quibus diuinę in Christianos beneuolentię, & charitatis certiora signa petere possumus, & maiora Christianę virtutis colligere documenta. Nam quę a Christianis contra Christianos suscipiuntur, habent intolerantię ambitionis, cupiditatis, & odiorum exempla. Nec profecto ignorabam quam arduum, & difficile esset scriptorem omnibus satisfacere. Non enim vno, & eodem modo affecti sunt omnes, & multa aliter narrantur, variantq; sæpe ij ipsi, qui bello interfuerunt. Verum me scripturum ea profiteor, partim
quæ

111

quæ ipse vidi, partim quæ a dignissimis fide hominibus
accepi, sine vllius odio, vel amore. ipsamq; historiam gra-
uissimorum authorum imitatione, & summorum virorū
præceptis conformare conatus sum, quantum in me est
prudentiæ, & exercitationis. Tuo autem nomini nō id-
circo dicauimus, vt a maledictis eam defenderes: nam quæ
falsa sunt, nullius autoritate vera esse possunt; scriptio-
nis vero modus, & forma pro cuiusq; ingenio aut laudatur,
aut reprehenditur (quanquã scripta ex eius viri, cui nun-
cupantur, dignitate, & splendore plerunque lumen, &
fidem accipiunt) sed quoniam intelligebam incredibili
te cupiditate ardere cognoscendi hoc bellum, cui per fra-
trem, aut per valetudinem interesse non licuit, nisi ad te
historiam, in qua, velut in tabula inspiceres quæcunq;
euenerunt, atq; animo videres, quæ oculis cernere nō po-
tuisti. Quam lectionem ad veram te laudem, & gloriam
non parum excitaturam spero. Nam in te magna semina
virtutum agnouimus, cum adolescentem adeo pro Chri-
stiana religione ad sanctum, & prope cunctis necessariū
bellum, sed graue, & periculosum aduersus Christiani
nominis hostes animatum, inflammatumq; conspeximus,
verum paternæ probitatis, & virtutis hæredem. Vn-
de summis a Deo votis, & precibus optamus,
vt Carolum patrem tuum studijs, & factis
exprimas: quæ ab animi præstantia,
& rerum gestarū magnitudi-
ne maximū, & augustis-
simum Imperatorem
prædicamus.



ERRATA ITA CORRIGENDA.


Fol. 1. a. Lilybæo; Lilybæo. fol. 2. a. lingua: lingua. 1b. cæterum:
 cæterum. 1b. b. Carthaginenses: Carthaginenses. fol. 8. b. abq; absq;
 fol. 11. b. Omnium reum; reum. fol. 13. Fortissima; Fortissime. fol.
 21. a. nequicquam; nequicquam. 1b. pro nouis muris munimentisq;
 munimenta. fol. 22. a. uictaq; uiuis; ui uis. 1b. quot quot; quotquot.
 1b. b. menia: moenia. 1b. huic oppositio: opposito. fol. 24. a. compara
 bat: comparabat. 1b. a. Qua propter: Quapropter. 1b. b. in cassum:
 incassum. 1b. b. hostens: hostes. fol. 25. a. patierunt: petierunt. 1b. ex
 pugnandam: expurgandam. 1b. rem hostium exploranda: res hostium.
 1b. b. cædunt: cædunt, 1b. cæpit: cæpit. fol. 26. a. insulem|insulam.
 fol. 27. a. monitiones; munitiones. 1b. b. militare: milliare. fol. 28.
 a. subit: subijt. 1b. examinatus est: exanimatus est. 1b. perconstatio
 nem: percontationem. 1b. lenes: leues. 1b. b. ad quos medios: at quos
 medios. fol. 29. a. Masimilian: Maximiliani. fol. 30. a. de integre:
 deingro. 1b. b. agnoscat: agnoscet. 1b. b. per conctatione: percon
 tatione. fol. 31. b. saudent: suaderent. 1b. iucommoda: incommoda.
 fol. 32. a. præmississet: præmississet. 1b. Lybico: Libyco. 1b. Atibusel:
 Aethusa.

...the first of the year 1642, the king was at Oxford, and the parliament at Westminster. The king's army was defeated at the battle of Edgehill on September 23, 1642. This was a turning point in the English Civil War, as it allowed the parliamentarians to take control of London and the south of England. The king fled to the north, and the parliament declared that he was a tyrant and a traitor. The king's army was eventually defeated at the battle of Marston on May 2, 1649, and he was executed on January 30, 1649.

...the king's army was defeated at the battle of Marston on May 2, 1649, and he was executed on January 30, 1649. The king's death led to the establishment of the Commonwealth of England, which was a republic. The Commonwealth was a period of political and social change in England, and it was eventually replaced by the monarchy in 1660.

...the king's death led to the establishment of the Commonwealth of England, which was a republic. The Commonwealth was a period of political and social change in England, and it was eventually replaced by the monarchy in 1660. The king's death was a significant event in English history, and it led to the end of the Stuart dynasty.

LLIARIA



...omnis nocte pluaru
modo copiosi rores generantur . quo humore temperatus
B



I
IO ANTONII VIPERANI
DE BELLO MELITENSI
HISTORIA.



BELIUM Scripturus, quod Turcæ cū Militibus Hierosolymitanis in Insulā Melita magnis viribus, non pari euentu gessere; prius insulæ situm, & incolas, atq; vt eam milites Hierosolymitani habuere, pariter & belli causas breuiter exponam. Nec vna quidem insula est huius nominis. Nam alterā accepimus inter Corcyram Melenam cognominatam, & Illyricū sitam: vnde canes sunt Melitæi, satis quondam in delitijs habiti. Hæc autem, qua de loquimur, in Africam vergens a Sicilia lato, & periculoso freto disiuncta est, lxxxiiij. M. pass. a Camerina, a Lilybæo distans Cxiiij; patensq; lx. milliū ambitu, latitudine xij. longitudine xx. ab oriente, in occidentem projicitur, atq; in piscis formam quodam modo finitur; B. Pauli Apostoli, cuius in tutela est, multis celebrata miraculis. Cuius diuino beneficio nullum est in ea venenosum animal. In ea (ne pagos memorē, qui sunt permulti) eiusdem nominis oppidum est in ipsis insulæ mediterraneis, quod Carthaginenses cōdidisse dicuntur, situm pass. iij. M. ferme a libyco mari, atq; viij. remotum ab eo litore, quod vnda siculi maris abluitur. Ipsa porro insula tota propemodū verrucosa, & saxosa est, eoq; minus serax; sed pecoris tamen abundat, & gossipij, cuminiq;: at certe hoc felix, quod non longe abest a Sicilia frugum omnium seracissima. Mox ingentes, & nimij calores, vt æstiuo tempore cuncta solis ardore prope torreantur: qui e rupium candore repercussus caliginem, scintillationesq; producit. Nihilominus nocte pluuiarū modo copiosi rores generantur. quo humore temperatus

DE BELLO

calor animantium vitam conferuat. Incolæ autem quasi naturalis soli sterilitatis conscij tenui victu, cultuq; contenti sunt: quiq; vt Afrorum lingua vtuntur, eodem tincti colore, sic non dissimili pene videntur ingenio; vtq; ad nauigandum natura apti, sic minus ad arma habiles, & idonei. Iam mare seuum, & importuosum, qua Africam spectat; vbi excellæ, & præruptæ rupes cernuntur: alijs vero in locis vndarum verberatio excelsis litoribus pleurosq; sinus effecit; vt habitati quôdam soli vestigia adhuc appareant. Vt vero aliquos sinus maxime memorabiles referamus, ad orientem Solem sinus est ab incolis Marzascala nuncupatus: atq; inde propius Vulturum trium millium interuallo portus Marzasciloccus satis capax, & amplus. Ad Austrum breuior sinus a nigra petra nominatus: cui parua quædam e regione insula, vel (vt verius dicam) scopulus, Vursura hodie dicta, non procul respondet. Verum ad Africum ventum duo lati sinus Antifega, & Mugiarus appellati. Sed in extrema insulæ ora locus est ad exponenda onera perquam opportunus; cui nomen indidit Melega. Id quod insulæ paucis admodum in locis dedit natura. Huic ex altera parte peragusto freto intercurrente, in quo duo iacent a cumino vocitati scopuli, adhæret insula Gaulos, eiusdem, cuius Melita, ditionis. At vero eo tractu, qui Siciliæ oppositus est, ad Lilybæum magis accedens sinus a B. Paulo Apostolo cognominatur; quo videlicet illum e tempestate memorant eiectum fuisse, cum in Italiam nauigaret. Ad Pachnum duo ingentes, longioresq; portus; quos xvi. circiter stadijs oblonga, lata pass. CCCLXX. quædam terræ quasi lingua interiecta secernit, planior primû, tum paululum insurgit, & multiplici dorso erecta, demû facili iugo decliuus in æquabiliorem oram descendit. vbi ad tuendum vtriusq; portus ostium Hierosolymitanorum militum ordo arcem extruxit, Diuoq; Erasmo dicauit; quippe cui templum hoc ipso in loco sacratum erat. Qui autem a sinistra est, patria

illorum lingua Marzamuscettus vocatur, a quibusdam alijs Misidis portus dicitur, (nam Melitenses portum Marzan appellunt) angusto primum ore, tum longo circuitu spatiosum æquor, & in eo paruam quandam insulam amplectitur, inde alio, atq; alio flexu permultos sinus, recessusq; habet. Alter etiam multo ambitu in plures terræ sinus influit, & obliqua litora circumit plerunq; longis, angulosiq; recessibus. Sed duæ præsertim terræ quasi linguæ viij. ferme stadia porrectæ, ac ccc. fere pass. inter se distantes quasi parallelæ linæ a dextra in eius mediû procedunt, & tanquam rostris mare profcindunt. In alterius, quæ prima portum ingredientibus occurrit, extrema parte prærupta rupes est; in qua ingentem arcem edificauere, quam a S. Angelo nominarunt. In reliqua parte vicus erat, quem vulgo Borgum nominant, Hierosolymitanorum deinde militum sedes, muro, fossa, vallibus munitus. Altera vero lingua insula dicitur, peninsula potius dicenda. Nam adeo paruo terræ spatio continetur. Quæ, quia Claudio Sengla magno huius sacræ militiæ magistro habitari, mœnibusq; sepiri cepit, illius quoq; nomen obtinuit. Quin etiam S. Michaelis nomen adepta est: quod nimirum huius nominis turris in ea constructa sit. Quæ linguæ intersuso vtrinq; mari, obiectisq; collibus tres sinus, vel portus potius clausos, & tutos præbent. Obiecto autem insulæ colli nomen est Coradinus; interq; situs portus S. Michaelis nomine signatur. At medius inter linguas portus communem totius insulæ appellationem seruat. Tertius inter vicum, & oppositum collem, qui e Seruatoris nomine appellatur ob sacram huius nominis in eo positam ædem, Infirmarum portus dicitur a Xenodochio, vbi infirmi curantur, quod illi e vico imminet. Porro qui e Seruatoris colle ad portus ostium sinus inflectitur, Renella nuncupatur. Hæc pluribus descripsi; quoniam tota belli moles in his locis præcipue vertitur. Cæterum ipsam insulam habuere primû Cartha-

DE BELLO

gingenses, tum Carthaginensium victores Romani, ac multis post seculis Saraceni inuaserunt, quibus expulsis Sicilię reges occuparunt; tandem Carolus V. Imp. post captam a Solimano Rhodum militibus Hierosolymitanis concessit. De quorum origine, cultu, & studio quam paucissima dicenda sunt. Receptis ex barbarorum manibus Gottifredi virtute Hierosolymis (vt fide digni scriptores tradiderunt) a natali die IESU CHRISTI Domini nostri anno M. XCIX. statim innumerabiles Christiani nominis mortales ad visenda sacra loca vndique concurrerunt. Quoniam vero egentes multi, & iterum difficultatibus, & longe navigationis tædio plerique in morbos incidebant, religiosi quidam viri Xenodochium condidere, ac D. Ioanni Baptistę dicarunt in vrbis loco, qui Zacharię patris memoriam in vlla vsque tempora seruauerat. Neque solum illi hospitalitatem, verum etiam deinde militiam cõtra barbaros, & Christiani nominis hostes Machabęorum æmulati morem, & studia pro Christianorum defensione, & salute exercere. Sed rursus expugnatis ab hostibus Hierosolymis ad Macrim Lyciæ vrbem profugere, indeque ad Acrim, postea Cyprium pererrarunt. Ita ex alio in alium locum commigrare vrgentibus barbaris sæpe coacti sũt. Tandem Constantinopolitanus Imperator Rhodum obtulit anno M. CCC. VIII. Cuius insule possessionem, vt pote latiorum Imperium gręcis recusantibus, vi, armisque obtinuerunt Villareto magno militię magistro, illumque adiuuante cum Neapolitanorum Rege Ioanne xxij Pontifice maximo. Qui Xenodochium primi instituerunt, simul degere, & vnius auctoritate regi, illorumque omnia esse communia: & crucem octogonam albi coloris vestimentis assuerunt, qua ab alijs dignoscerentur. Viuendi quoque normam a B. Augustino traditam sequuti paupertatis, castitatis, & obedientię votis se astrinxerunt. Statuerunt quoque, ne quis in hunc ordinem militarem adoptaretur, qui non ex claris parentibus ortus esset.

Vnde

Vnde tanquam ex equestri ordine illos puto equites appellari, atq; ex his locis, in quibus moram agitabant, nomina sortitos esse. Nam ex Hierosolymis Hierosolymitani, ex Rhodo Rhodij, nunc ex Melita Melitenses vel ob ordinem militare milites, vel ob ordinem equestre equites nuncupantur. Dicuntur etiam D. Ioannis equites, quoniam illius tutelę commendati jam ab initio sūt. Atq; ob cōmunionem vitę, & mutuam inter se beneuolentiam, & charitatem Fratres vocantur. Cuius ordinis opes, quoniam máximis commodis Christianam rep. iuuaret, breui mirum in modum Christianorum principum liberalitate creuere. Sēperq; Romani Pontifices sumis illum beneficijs affecerunt, priuilegijs, immunitatibusq; donarunt. Multum vero illi roboris, & authoritatis accessit ex Templariorum militum internectione; quorum conuentum Clemens V. Pont. Max. suadente Philippo Gallorum rege penitus deleuit. Nam eorum bona magna ex parte militibus Hierosolymitanis distributa fuerunt. Iam Rhodum incolentes, potentioresq; effectū in barbaros frequenter irrumperere, Christianorum hostes magis, magisq; terrere, Christianam religionem in Asia, & Gręcia pro se tueri, naufragos, & peregrinos benigne excipere, miseris, afflictisq; subuenire, hospitalitatis officijs munificētissime, ac sanctissime vtī. Quamobrem grauiora in dies barbari metuētēs illos sepe armis petiuere. Maximumque bellum Mahometes Solimanni atatus per Paleologum quendam intulit: sed graui damno, & maiore ignominia repulsus est. Postremo Solimanus Turcarū Imperator creatus, ardens iuuenis nouę glorię cupiditate post longam obsidionem illos in deditionem accepit, atq; ex insula cum suis fortunis, & classe incolumes abire permisit anno M. D. XXII. Quibus ex proprijs sedibus expulsis, incertasq; quęrentibus Carolus V Imp. Melitam donauit. Quam vt accipere, statim mēsisibus mobilibus, propugnaculis, alijsq; operibus (vt ante diximus)

DE BELLÒ

mirifice munierunt. Nec quietem agere ex prioribus calamitatibus perculso animo, aut victoris superbiam metueret; sed ex aduersis rebus audentiores effecti recenti adhuc vulnere, & iactura, ut quæ aliquando ipsi a turcis mala perpesi fuissent, nunc ex illorum damnis resarcirent, & vigentis etiamnum exempla pristinae virtutis ostenderent, reparata quatuor longarum nauium classe barbarorum fines hostiliter inuadere, orientis oras accedere, maria peruiagari, in nauigantes hostes impetum facere, rerum, & mancipiorum prædas agitare, turcis, maurisque de integro terrori esse. Hinc noua Solimanno ira ex contemptu nasci, acui, & tanquam ignis materia, huiusmodi facinoribus ali, atque odium vehementius accendi. Et ne vetera recensere cogamur, ea persequemur, quæ proximæ belli causæ extiterunt. Superioribus annis vna M. magistri triremis onerariam quandam nauim cum capere non posset, tormentis suppressit. Captique mortales viui, qui se in scapham proiecerant, non pauci. In quibus vir quidam turca primarius, & nobilissima quædam mulier fuit. Quorum casu Solimannus grauiter affectus est. Mox cuiusdam inter turcas principis ingens quædam, & oneraria nauis omni tormentorum, & armorum genere munita, quæ vna vel ipsimet Solimanno visa fuerat, quæ tuto a Melitensi classe nauigaret, (tanta quidem virtus Melitensium equitum tantum hostibus pauorem iniecerat) cum in illâ sorte fortunâ inter Zacynthum, & Cephaleniam incidisset, præter omnium opinionem magna cum præda capta est. Ad hæc F. Maturinus Lescudes Romogassus cum duabus M. Magistri triremibus, vnaque biremi, ac duobus alijs breuioribus nauigijs actuarijs proximo anno Epidaurum Peloponnesi oppidum in Argolico sinu (quod hodie Maluassiam vocant) inuadere tentauit. Sed resaliter euenit, quam sperabatur, quoniam loci forma aliter expressa fuerat; tum aduersa tempestas excitata scedisime classem disiecit. Quod facinus audax Solimannus non sine ira,

& indignatione admiratus est. Præterea frequentes ad illum de Rhodijs equitibus suorum lamentationes, & querimoniam deferebantur, quod nullus iam locus, nulla usquam nauigatio neq; ad negociandum, neq; ad Mahometis sepulchrum (quod est in Mecha Arabiæ illustri oppido) foret amplius tuta. Alij de mercaturis, & mercibus, alij de diuinis Mahometis honoribus, alij de captiuorum salute, quisq; de suis, suorumq; malis grauiter queri. Sollicitabat etiam illum Dragutes rex Tripolis (quæ Ciuitas est in Libya cclxx. M. pass. distans a Melita, non multis ante annis Melitensium equitû potestatis, Neapolis olim, & Leptis maior a Latinis vocitata) qui proculdubio secû animo maiora, quam credi posset, agitabat, si inde milites Hierosolymitanos eiecisset. Nec gratum illi nuntium, opinor, fuit, quod accepit ab Assan rege Algerij (quod oppidum in Mauritania latini Iuliam Cæsarea dixerunt) Philippum Hispaniarum regem naualibus operibus intentum, ingentem classem comparasse, & quam Hispani Pinnonem vocant, arcem munitissimam in Mauritania ductu Gartie Toletani cepisse, & ad occupandum munitiores Africæ vrbes aspirare. Ipse quoq; Solimannus videbat nullum a Christianis bellum contra turcas suscipi non Hierosolymitanis equitibus aut authoribus, aut auxiliariis; quorum maxima vbiq; virtus esset, & gloria. Hæ nimirum belli causæ memorantur. Postquam igitur Solimannus animum ad bellum adiecit, consiliarios, & principes viros (qui a Turcis Bassæ vocantur) ad se accersit, ac belli consiliu aperit. Docet quemadmodû equites Rhodios olim in deditionem acceperit, & liberalissimè, atq; honorificentissimè dimiserit pollicitos. Inperij maiestatem nullo se vnquam tempore violaturos, tum quæ facinora postea fecerint, enarrat; tantam improbitatem, & audaciam opprimendam ait; Se pietatis, & religionis comotum bellum attingere. Bassæ facile Solimanni mentem, & consiliû probant: præcipueq; Mustapha vir illustris,

DE BELLO

genere turca, natus annos circiter LXV. qui deinde bello præfectus fuit, Imperatorem ad hoc bellū cohortatur; quod æquum, sanctum, necessarium ait, atq; ab omnibus semper expetitur; polliceturq; operam suam, & studium, prædicatq; se palam intra paucos dies Melitam expugnaturum. Nec desuit, qui bellum alio transferendū esse cēseret, aut qui Mustaphæ inuideret, aut quia ita sentiret. Nam quibus cum bellum gerendum sit, docet illa semestris Rhodi oppugnatio: quæ intra turcarum vires, procul a Christianorum finibus, post tot menses, totq; tantaq; prælia, & maximam, scedisimamq; turcarum stragem non vi capta est; sed vbi nulla spes amplius auxilij a Christianorum Principibus fuit, in deditionem venit.

Melitam Siciliæ præsidium, Italiæ propugnaculum, Imperij Christiani finem, & ostium, si bello petatur, facile omnes Christianorum Principes inter se conciliaturam ad communem omnium salutem tuendam: Nec tam referre turcis Melitæ direptionem, quam obesse Christianorū consensum. Hierosolymitanos milites, si inde pellantur, sedes alias habituros: nec deleri vnquam posse, si nō vniuersa Christianorū societas extingatur. Sed maior pars vicit. Itaq; iam tum omni cura, & studio ad bellum incumbitur. Ingens vis cogitur lōgarū nauium, & onerariarum, & actuariarum, aliæ fabricantur, aliæ reficiuntur, aliæ ex alijs locis contrahuntur; arma, tela, machinæ, tormenta, omnisq; oppugnationis materia, & reliqua instrumenta militiæ abunde parantur. Commeatus in sex menses affatum, stipendium, & quæ in vario bello vsui esse solent, mature, copioseq; decernuntur. Miles vndiq; accersitur, eligitur, scribitur; cunctusq; exercitus, qui in Melitam portetur, omni prope ratione exornatur. Significatur etiam per nuntios, & literas omnibus trierarchis, vt certo die aut Methone adsint, aut in Melitam se conferant. Cuius rei fama tanto cum tumultu per Christianas vrbes emanauit, vt sibi iam quisq; timere, habere præsidia

MELITENSI.

fidia in maritimis locis, quo res vertat expectare. Ac sanctissime, & paterno animo ad tanti hostilis apparatus nutrium Pontifex maximus Iubilæum promulgauit, vt Christiani supplicationibus, votis, precibus, sacrisq; sacramentis religiose vacantes diuinam iram mitigarent, Deumq; adorarent, vt furorem a suis contra suos aduersarios conuerteret. Ac profecto si vllò vnquam tempore, hoc præsertim Christianorum pietas, & religio visa est maxima: vt nulli dubium videri debeat, Deum immortalè ad piorum preces, & vota descendisse. Et quamuis pro humano ingenio, quod in dubijs præcipue rebus, & temporibus ex se multa confingit vana veris innectens, varius esset rumor, quem potissime in locum hoc bellum intenderetur; nam alij Gulethæ iuxta Tunetè arcu metuere, alij Corsicæ, alij recuperandæ Pinnonis gratia comparari classem dicere; pro certo tamen magis habendum erat, quod ex nuntijs, speculatoribus, & literis, quæ ex Alexandria, Dalmatia, Constantinopoli afferebantur explicantes studia belli, atq; consilia, maximeq; ex fugitiuorum, & transfugarum sermonibus intelligebatur; omnem hunc belli apparatus instrui aduersum equites Melitenses. qui vel singulis ferme annis hoc ipsum ante metuerant. Sed minus quidem hoc tempore consultum est ipsorum rebus: neq; rerum bello necessariarum, neq; militum satis paratum fuit vel ob inopiam terrarum, vel quod Ioânes Valletta magnus sacre militiæ magister a Philippo rege auxilia expectaret: cui in omnibus bellis naualibus equites Melitenses operam suam, & studium fidelissime semper, & diligentissime præstitissent. Illumq; interim anxium Gartia Toletanus regiæ classis præfectus, & Siciliæ prorex creatus cum insule oras circumiret, in Melitam vectus confirmat, spondetq; cum ingenti se classe auxilio adfuturum. Verum quo minor fuit in providendo, & subueniendo cura, eo maior in obsistendo diuina equitum virtus enituit. Per hæc tēpora memorabile prodigium fuit nunq̄

DE BELLO

viſæ, & inaudite formæ piſcis, varij coloris, magnitudine
 inſtar thynni, ore, vt plitaci, aduico, captus in ora litora-
 li vterioris Hiſpaniæ. In cuius ceruice turris imago, iu-
 xtaq; eminentis ſolis effigies, reliquo vero corpore veniẽ-
 tium; & redeuntium omnis generis nauigiorum expreſſa
 lineamenta cernebantur. Annus iam cõuerſus erat a par-
 tu Virginis ſupra M. D. ſexageſimus quintus Pio iiij. Põ-
 Max. Maximiliano II. Chriſtianorum Imp. Hiſpaniarũ,
 atq; Siciliæ Rege Philippo Caroli V. Imp. F. cum menſe
 Martio, inchoante luna (quod illi tempus felix, fauſtũq;
 rebus gerendis exiſtimãt) paratis omnibus rebus ad vſum
 belli neceſſarijs, & declaratis Muſtapha terreſtrium copiarũ,
 & Pialiſſimæ claſſis præfecto, qui paucis ante annis ad Me-
 ningem Africæ inſulam, quam aliqui Lotophagitem vo-
 rant, vulgus Geluem, Chriſtianam claſſem fuderat, So-
 limannus illos hortatus, vt hoc bellum pro dignitate im-
 perij, pro iuſtitia, & religione prudenter, fortiterq; admi-
 niſtrent; alter inſtructa claſſe auxilia prohibeat, & venien-
 ti Chriſtianorum claſſi reſiſtat; alter oppugnationibus in-
 tentus, nullo interuentu hoſtium perturbari poſſit; Clas-
 ſis inquit coacta vobis maior, quam vnquam antea, exer-
 citus copioſus, delecti milites, materia ad expugnandum
 neceſſaria pluſq; ſatis; animo, & ſtudio duntaxat opus:
 Deus, prophetæ, prophetarumq; maximus Mahometes in
 tam æquo bello vobis præſentes aderunt: ne reditum niſi
 expugnata Melita ſperetis; capti omnia diruite in pirata-
 rum exemplum, memoriamq; ſempiternã. Et; ne qua in
 Deum, Mahometem; alioſq; prophetas officia deſeruiſ-
 ſe videantur; ædes ſacras uideant (quæ ab illis Muſchitæ
 appellantur) & vota pro victõria faciunt, perfectiſq; cum
 cura ſupplicationibus magna cum omnium lætitia, & cla-
 more, & pro gentis more tripudijs in celebri pompa, tu-
 barum, tibiærum, tympanorumq; ſonitu, ac tormento-
 rum bombis regiam ſalutantes Conſtantinopoli ſoluunt,
 atq; nauigationẽ ad Pyli dirigũt VIII. ferme a Methone

milliaribus (quæ ciuitas est in occidentali Peloponnesi ora) amplissimū, & tutissimum portum (Nauarim hodie nuncupant) quo dies absentibus dictus fuerat. Numeratæ sūt triremes cxxx. onerariæ naues magnæ xi. atq; his minores, quas Carmusales nominant, iiii. longæ naues, & onerariæ, ingentiorisq; molis, quæ Mahones dicuntur, viij. biremes, & leuijores reliquæ circiter xl. Sed vna ex illis xi. onerarijs nauibus, cum incautius remulcicaretur ad Scyllæū Peloponnesi promontorium, imprudenter in scopulum illisa fuit, ac magno cum Bassarum dolore, & in præfectos ira subito, atq; improviso adeo submersa est, vt vix triremibus, quæ alligatâ illam puppibus trahebāt, funes excindendi tempus adfuerit. Magna vis cōmeatus, & tormētarij pulueris amissa, tormētarij; globi vij. millia; mortales, paucis incolumibus, DC. ferme in vndis perierunt. Numerati quoq; sunt præter nauales socios, naualemq; turbam in armis expediti milites XXII. m. Iannizri. V. m. strenui, & in bellis exercitati, qui longioribus sclopettis vtuntur. Spachi e Græcia delecti VI. m. valentes quidem, sed his arma sunt cetra, falx, hastula, machæra ad nostra prælia minus idonea. Totidemq; ex minori Asia (quæ vulgo Natolia dicitur) sagittarij, cæterum inertiores. Reliqui gregarij milites, & voluntarij. Quin etiam plerique viri apud illos religiosi spōte nomina militiæ dederunt inducentes in animū & gloriosam ex bello vitam, & optabilem in tali bello exitum vitæ fore: quibus Solimannus nauigia seorsum ab alijs dari iussit. Hic cum aliquot dies frustra expectassent ex Alexandria cum VII. rostratis nauibus, quæ illius regionis præfidiō sunt, Lucialim Calabrum ita appellatum, postquam Christiana religione se exoluit, & Mahometanā suscepit, quoniam multam tormentarij pulueris, & glorum sopiam ferre dicebatur; tandē imposito in naues milite, & rebus ad bellum pertinentibus pridie idus Maii secundo vento profiscuntur, ac quarto diē sub ortum lucis in Melitæ con-

spectum veniunt, animaduersisq; arcibus, & propugnaculis ad læuam declinant ad Marzasciloccum. Quo in loco primæ agminis triremes contractis velis paululum constiterè; tum passis velis vbi vniuersum agmen aduenit, vel quia portus vehementius turbaretur, vel quia comodiorum quærerent, ad Antifegam, & Mugiarrum nauigationem conferunt; quo paulopost meridiem feruntur: reliquam dici partè quieti dederunt. factoque; vespere Pialim insulæ portus, & sinus diligenter obseruat. Tantis vero Melitensibus & natura pauidis, & insolitis rerum bellicarum incensit ex hostium aduentu metus, & trepidatio, vt pars se tectis, murisq; occultaret, pars in rupes, & cauernas abderet. Nec leui commiseratione dignum videre alios cum uxoribus, & paruis liberis, sine comætu, sine spe vlla victus, in summa omnium rerum egestate flentes, ac trepidantes huc, illucq; cõfugere. Nam in agris pecora, in areis frumenta repentino metu relinquere coacti fuerunt. Quæ res hostibus alimenta suppeditauit, & ad trahenda quæcunq; tormeta peropportuna fuit. At F. Guiglielmus Copier Marixales (nomè istud è magistratus apud milites Hierosolymitanos res bellicas administrantis) qui cum cc. pedibus, & ccl. equibus ad Marzasciloccum se paulo ante contulerat turbaturus egrèdientes hostes, & præclarum simul aliquod militare facinus ex composito editurus, si manum aliquam hostilem a litore paululum abduxisset, postquam illos vidit alio vela dirigere ad oppidum cõtendit, atq; altero die ad turrin Falcæ concedit lōge ob oppido duobus milliaribus, tribus ab hoste. Vnde Melitensè quendam hominem peritum viarum cum aliquot equibus exploratum mittit, quæ apud hostes fierent, si qua dũ facta esset in terram descensio. Ille cum XL. circiter hostes in terram egressos reperisset, igne reliquis signum dedit; equitatus repente accurrit; hostis se rupibus tuetur, munitusq; saxorum asperitatè intrepide pugnat, atq; alterum militem Hierosolymitanum occidit, alterum suffoco

equo capit, non plus vno suorum amisso, qui ex altissima rupe corruit. Sed vbi Marixales aduertit nullam hic rem geri posse propter salebras, & iniquitatem loci ad oppidum regreditur. Hostis quoq; (nam alter portus non fuit inuentus commodior) retro classem ad Marzasciloccum egit. & quoniam obscura nocte remulco trahi onerarias naues oportebat, lumen triremium insigne nocturnum in vtroq; portus cornu statuerunt, tertiamq; lampadem mediam prope litus collocarunt, ad quam inter vtrumq; lumen tuto pertraherentur. Ac Marixales cum suis ad vicum reuertitur. Oppidani, quia ciuitatē multis rebus indigentem, ac solum CLXXX. militum præsidio munitā cernebant, legatum ad M. Magistrum mittunt rogatum maiores opes, & res alias bello necessarias. Ad quos ille F. Vincentium Anastasium, cum LX. sclopettarijs misit. Atq; interim Gartix Toletano per literas, & nuntios turcarum aduentum significat (quem ante speculatores e Pachyno nuntiauerant. Nam ex Peloponneso inter Melitam, & Siciliam nauigationem tenuerant) illumq; promissorum memorem facit, ac quibus auxilijs modo sibi opus sit, exponit. Paucisq; post diebus F. Camillum Medicem Romam misit ad postulandum a Pōtifice auxilia, & F. Raphaelē Saluagū Messanam ad suorum negocia procurandum. Nec leuem præ se curam Prorex ipse ferebat, quod serius cogi, & parari posse Christianam classem videret. At vero turcæ cum accēpissent insulam rebus omnibus imparatissimam esse, cohortes aliquot in terram exponunt ad hostium loca speculandum. Aduersum quos, nam via veniebant, quæ ad vicum ducit, nostrorum pleriq; obuiam euntes manus conferunt in planitie quadam longe a vico m. pass. ratus quisq; magni ad spem reliquæ victoriæ momenti in primis certaminibus esse. E nostris vno, aut altero amissis, aliquot ex hostibus, in sua se quisq; recepit. Tum Mustapha in terram ipse descendit cum X circiter m. militum. Quibus cum ad D. Margaritæ phanū

DE BELLO

paulo longius a vicis mœnibus teli iactu rursû nostri portis egressû viribus recentes, auidiq; pugnandi fortiter confligunt: factoque ad pugnam concursu, Marteque irritatis animis tumultuarium, & atrox prælium faciunt. Turcæ relictis, qui certamen extraherent, reliqui ad Marzan progrediuntur castris locum capturi ad extremum portus opportunum, & aquis copiosum. Quarum postmodum victio (nam illas ante nostri corruerant) DCCC. ferme hostes interierunt. Dum vtrinque pugnatur, in turri, quæ Provinciæ dicitur, e D. Margaritæ regione, vnde in hostes pro nostris globi tormentorum emittebantur, bombardæ quædam imprudenter accensa tres homines hausit non sine graui M. Magistri, & astantium discrimine, qui certamen ex hoc ipso loco prospectabât. Idem quoque, eodemque temporis momento contigit in suburbio, quod est prope vicum ad litus extra portam Aragonensem Bormiora vocitatum; vt in tormetarium puluerem, qui tum militibus distribuebatur, casu nescio quo ignis inciderit, excitatisque flammis XIII. homines extinxerit. Vbi pugna multorum cum cæde remissa fuit, M. Magister equitatum ad oppidum abire iussit, reliquos intra mœnia continuit, & ne quis amplius ad pugnandum porta egrederetur, edixit; quoniam hostes longeminore detrimento vinci, quàm suos vincere intelligebat, cum ad defendenda mœnia vix miles sufficeret. Per id fere tempus vna Ioannis Vallettæ triremis, ex Libya rediens, quo ad explorandû Afrorum negocia missa fuerat, albente cœlo conspicitur. Cui festinanter oppidi præfectus F. Mesquita breuioris tormenti bombo, & fumo significat hostes adesse. Illa quoque tres longas naues conspicata velis, remisque aduersum se niti, ocyus Syraculas ex cursu per fugit. Nuntiabat autem Dragutem omni properantia classem exornare. Interim oppidanis, quoniam a Turcarum castris aberant, neque eodum loci hostis accesserat, frumentatum egressi alis equitum hinc inde præsidium agitantibus tantum frugis importa-

runt, vt V. M. hominum tota ofsidione fatiſ, ſuperq; fuerit. Multum quoq; pecoris coegerunt: quod in oppidi foſſis ſeruatum eſt. Turcarum vero, poſtquam omnes copiæ, & cuncta belli inſtrumenta expoſita fuerunt, alij depopulari villas, & agros, pagos & tecta incēdere, ferro & igne omnia vaſtare, vt tres dies, totidemq; noctes tota pene inſula miſerabiliter deſtagrauerit, alij operibus caſtrorum occupari, alij ad caſtra tormenta muralia trahere, nō tamen interdum abſq; aliqua, ſed leui quidem illa a noſtro equitatu impeditioe, quoniā inſula ſaxoſa, & multa ubiq; lapidum congerie diſtincta tum ob diuiſionem, tum ob purgationem agrorum non ſatis æquum ad pugnam equitibus locū præbet, & qua conſpici ex propugnaculis, & ferri poſſūt, nocte illa trahere. Mox quædam incautiſ tracta in limoſam Marzæ planitiem impinguntur. DCCC quoq; milites ad D. Ioannis ædem III ſtadia procul a Bormora relictī; qui aditū ad noſtros obſidēant. Tum e Marza in editiorem S. Eraſmi linguæ tumulum, qui ſpectat recta medium portum, aliquot tormenta muralia pertrahunt. Quo ex loco primū duobus tormentis naues, ædes, propugnacula temere percutiunt, duobuſq; diebus continenter arcē S. Angeli feriunt. Sed terrere magiſ, quam rem aliquam agere. Hinc illa propius ad D. Eraſmi arcem admouent; nec ea impune collocare, & vallo munire poſſunt. Nam emiſiſ ex propugnaculis, & ex arcē S. Angeli, quæ præminet, tormentorum globiſ præterquam quod præpediebantur, & turbabantur, abſumebantur etiam pleriq;. Duo tandem excitati aggeres, & diſpoſita in hiſ XVIII tormenta, multaq; circumſactæ militibus ad latendum, & inuadendum munitioneſ ſunt, cum Lucialim ex Alexandria venit, nec longo poſt tempoſ interuallo Dragutes ex Tripoli cum XIII roſtratiſ nauib; & M. D. delectiſ viriſ; vir ingenio acer, & ob arteſ belli naualiſ Sōlimanno charuſ; ideoq; magna viſ ei긯 in exercitu, & authoritaſ. Qui veniens

DE BELLO

primum queritur, quod non prius oppidum oppugnare
 parauerint: quod primum omnium capiendum esse dis-
 ferit; vt libere tota insula potiantur, ac, præter commoda
 multarum rerum, vt nulla vis vnquam hostium a tergo,
 aut repentina aliqua excursio timeatur; quæ aut pericu-
 li aliquid afferat, aut opera turbet. Mox vt ne cuiquam
 hostium ad insulam accedere, vel discedere cuiquã ex in-
 sula liceat. Ita omnem sibi metum, & suspicionem adimi;
 illis omne subsidium, & opportunitatem eripi. At
 Bassæ facti sui rationem explicant; quod capta D. Erasmi
 arce abq; vilo negotio reliqua in manu, & potestate ha-
 bituri sint. Tum quoniam aliusclassi tutus ab omni ven-
 torum agitatione non est portus nisi Misidis, quæ præci-
 pua cura esse debet, hunc sane in primis occupandum esse
 affirmant. Ad hæc milites Hierosolymitani omnibus re-
 bus immuniti sunt; detentis nobis (aiunt) in oppugnatio-
 ne oppidi e Sicilia, quæ propinqua est, nocturna vna ve-
 lificatione facile illis veniēt auxilia, & commeatus. Itaq;
 ab incepto non abitur. Interea palantes hostes cum præ-
 datoria manu ad oppidum vsq; peruenerant. quibus cum
 præclare interdum a nostris pugnatum est. Nam ad M.
 Magistri nemus inita potius, quam facta pugna ab equi-
 tatu cum II turcarum M. & ad litus vix tribus ab oppido
 milliaribus prælium est cum DC. prospere commissum.
 XI. hostes cæsi, capti XVI. et contra CCC. hostes, qui
 DC. bouum prædam ad litus agebant, vbi triremes aliquot
 illis præstolabantur, secundo euentu prælium fecerunt.
 Contra quos F. Melchior Eguarasius cum CXXX. equi-
 tibus, e quibus XL scloppettarij (nam propter lapidum
 congeries hastæ minus sæpe vtilis pugnae sunt) duas horas
 fortiter decertauit. Sed postquam illi pagum Mostę in-
 trarunt, ac pariter præmiserunt, qui pecora cogere ad
 litus per saltus, & aspera loca equitibus aliena, F. Egu-
 arasius retrocedere visus est. quem hostes detrectare cer-
 tamen arbitrati, audentioresq; effecti in planitiem quandã
descendunt

descendūt ferro iterum dimicaturi. Quare ex oppido inspecta F. Ioannes Vagnones cum LX. sclopettarijs auxilio suis accurrit; primoq; congressu hostes terga verterunt. Nostri instare, virgere, persequi; nec pecoris modo prædā recuperarunt, verum etiam maiorem illorū partem vulneribus affecerunt. Nostrorum præter equos XV. saucios, suffoslos VI. vulnerati homines XXX. in quibus ipse ductor equitum F. Eguarasius sagitta vertebram manusictus est: Illorum IIII capti, interfecti LXX. Vt decimus tertius ab aduentu dies illuxit, omnibus rebus ad oppugnandum paratis longæ naues principium oppugnationis fecerunt; quæ propius ad linguæ rostrum accedentes aduersis proris arcem tormentorum globis petiuere. Sed alij muros percutere, alij in sua castra longius transmitti. Iisdēq; ipsæ armis ex aduersis propugnaculis appetitæ sunt: atq; in tanta globorū procella vna dumtaxat triremis labefactata fuit; quam aliæ, ne immissa vnda deprimeretur, illico sustentarunt. Post ex aggeribus XVIII. muralibus tormentis arcem icere adorti, primo statim ictu vexillum, quod erat sacri militaris ordinis insigne, proiecerunt, & quasi omen victoriæ, prosperiq; euentus hac ex re capientes ingentem clamorem sustulerunt. Nec noctu quidem oppugnationem intermittunt lucente luna. Quamobrem breui tempore bona pars murorum excinditur: deinde ad crepidinis fossæ murum peruenitur circum factis munitiōnibus, in quibus milites & tuto ipsiagerēt, & inde quenquam in muris stare prohiberent. Nostri, quoniam per hostes id interdium non licet, noctu quod murorum dirutum, & ruinis patefactum est quibus licet militaribus operibus sedulo reficiunt. Res ipsa postulat, quo magis illustratur, vt arcis forma breuiter describatur. Est autem non ingens, & in quatuor angulos tanquam radios vt fides proiecta, fossaq; circum munita, habēs inter duos angulos ad linguæ rostrum eminentem turrim, validissimo muro firmatam, ad quam per angustum pontem itur ab

DE BELLO

arce. Iuxta turrim, & arcis angulum ad tutandam fossam in ipsa crepidine, quæ leni admodû fastigio a litore subuehitur Marzamuscettum versus, paruum quoddam propugnaculum extructum est. Quæ arcis forma, quoniam ob loci angustias interiora defendi nequeût, si prima capiantur, & ob nimium proiectos in longum angulos minus bene latera proteguntur, speciosa magis, quam valida videtur; quam etiam loci situs humilior tormentorum iaculationibus magis exponit. Cæterum, hostes ad ferendam turrim in Marzamuscetti ostij cornu aliquot tormenta collocarunt. Cui loco Dragutes præfectus est: & in ipsa lingua alia tormenta prioribus adiecerunt propius Marzamuscetti litus aggere excitato; vnde rectius obstantem angulum percuterent. Decem igitur alijs tormentis additis arcem multis locis iugiter percusserunt, multisq; locis muro nudarunt. Tum inde manu moliuntur inuadere. educisq; multis cohortibus signa concinunt, ac præ mœnibus, & munimentis certamen acre conficitur. Sed illud extra fossam paruum, & humile propugnaculum, quod licet defensari per diu nequiuisset, prima tamen aggressionem minus honeste a nostris describitur. Tandem cæsis, vulneratisq; permultis, reliquis æstu, & labore fessis, languidisq; pugna remittitur. Lōge vero plures hostes, illorumq; meliores hoc prælio ceciderūt. E nostris F. Gardampus Aruernus inter cæteros nullum aliud verbum ex accepto in capite vulnere loquutus, quam In manus tuas Domine commendo spiritum meum, ad cœlos (vt par est credere) ex hac vita emigrauit. Vir bello quidem fortis, sed pietate, & religione præstantior, omnibus militibus Hierosolymitanis ob integritatē vitæ, & sãctitatem charus. Videns autem M. Magister hostes maiore vi, & studio ad expugnandam arcem fieri semper intentiores, probeq; intelligens ad eam tuendam ampliorem militum numero opus esse, quod per angustias loci tormentorum globis multi conficerentur, & terræ, ac fascium virgultorum,

straminumq; inopia munimenta refici male quirent, ipse militum paucitate astrictus (vix enim DCC. stipendio habebat) Melitenses homines, quanquam insolentes belli, communis periculi gratia, & nautas, ac remiges armat, quin etiam eos soluit e vinculis, qui noxa aliqua tenentur; quicumque militare velit. Ac inde F. Ioannem Vagnonem ex oppido cum C. militibus, mox alios accersit numero LX. & ex arce D. Erasmi faucios per caueam, quæ recta est ad dextrum portum, resumens, per eandem viribus, & corpore integros silentio noctis immittit. His remedijs, & via obsesse, oppugnataq; arci succurritur cû aliquo interdum transuectorum periculo. Nam hostes in scaphas sagittas, globos, globulosq; quando aut videre illas contigisset, aut remorum pulsus exaudire, arcu, tormentis, sclopettisq; iaculabantur. F. Raphael Saluagus interea cum literis Gartæ, & Miranda e Sicilia aduenit: eodemq; extemplo remissus est cum eadem nauicula ferens ad omnes milites Hierosolymitanos mandatum, vt cum duabus saltem Melitensibus triremibus altera, quæ fuga iam ante ex hoste euaserat, altera, qua legatus ad Pontificem traiecerat, & his militum ceptijs, quæ cogi possent, nullius alterius dicto audientes in Melitam suis auxilio quâto citius venirent. At Miranda vir Hispanus, militum ductor, qui signiferû Medranâ cum militibus antea præmiserat, quod ipse morbo Syracusis impeditus erat, a M. Magistro ob militarem virtutem benignissime exceptus est: rogatusq; vt tanquam rei militaris magistrum ad defendendâ arcem D. Erasmi sese conferret, quamuis certum periculum videret, belli tamen gnarus, & acer, militarisq; gloriæ satis appetens minime refugit. Præfectus primum erat arci F. Aloysius Broglia, sed inde quia senex, & valetudinarius reuocatus: in cuius locum F. Melchior Monseratus substitutus est. Sed Miranda non præsentia modo, verum etiam oratione multum eos, qui præsidio erant, recreauit: Nô tam se (inquiens) ad illos hortatoré venisse,

DE BELLO

quam belli socium, & adiutorem, atq; apud strenuos milites minus verba, quam honoris studium valere; rumorē, & vociferationē barbaros decere; vigilantem esse, & industrium, armatumq; contra hostes stare, hoc esse militē se gerere. Nec quicquam dissimulare, quod in aperto est, magnis se periculis, & difficultatibus circūueniri, sed quidem in rebus arduis virtutem elucere, nullumq; locum tam immunitū videri, quem hominum virtus satis per se ipsa nō muniat, & defendat. Atq; hoc præclarissimū belli facinus ducere, si pauci multorū vim, & impetū audacter, fortiterq; sustineāt. Ac non parum lætari, quod oēs generosos intueatur, qui malint gloriose mori, quā turpiter in barbarorū manus venire. Nec pluribus verbis opus esse apud præstantes homines, neq; se verbis, sed factis virtutem ostēdere. Ipsum vero tempus magis opera militaria, quam orationem postulare. Se vt ad cōmune periculum venisse, sic illis vbique comitem, & adiutorem adfuturū. Et cum multa fieri prudenter instituisset, tum illud scite cavit, ne quis e muro se ostenderet, aut fieret hostiū iaculationibus opportunus. Tanta est enim Iannizerorum patientia, & peritia iaculationis, vt quinque, sex ve horas nūquam oculum a sclopetta dimoueant, vixq; latum vnguem a scopo iaculando aberrēt. Quod si quis forte experimenti gratia galeam, vel rem aliquam supra murum extulisset, illam multis illico petitam globulis vidisses. Ad hæc tabulas quasdam magnas forari iussit, per quarum foramina tecti ipsi hostes ferirent. Nec eos turcæ seignius oppugnant: ac paruum illud in fossæ crepidine propugnaculum, quod in perniciem magis, quam in tuitionem fossæ factum videtur, terra, & saccis lana, gossipioq; plenis erigunt, impositisq; duobus tormentis obstantia munimenta percutiunt. iuxta quod ex ipsa crepidine ad arcis ruinas pontem ex antennis, & trabibus porrigunt, ac latera tabulatione communiunt. Vbi quotidie a nostris acrius pugnatur, & atrocius, quoniam maioris hic est la-

boris, atq; periculi. Nec hostes aperta solum via, sed etiã cuniculis oppugnãt, & mœnibus sub hoc ipso pōte succedentes murum perfodiunt, vt per tectum cuniculum in summa erumpant. Quam nostri rem veriti contra terram effodiunt. Nec frustra id fuit. Nam ex aduerso cuniculo in hostilem cuniculum incidentes, illis insperato metu percussis occultam nocendi artem præripuerunt. Id temporis LXXX. longæ naues eminus conspectæ sunt e Sicilia passis velis adnauigare. Melitenses rati illam esse Christianam classẽ, quę subsidio veniret, alacres gaudio ingentem clamorem e domorũ tectis edidere, neq; ad mœnia inde cogi potuerunt. quod cernentes hostes, qui in D. Ioannis erant, quos non latebat suam illam esse, nõ Christianam classẽ, ad vici mœnia accesserunt; Si quẽ bene gerendæ rei casum fortuna obtulisset. Verum porta erumpentes C. fere pedites aliquot equitibus permixti eos brẽui certamine propulerunt. Contra quos alias egressi leuia quædam prælia tumultuose fecerant. Et qui Messanæ conuenerant equites Melitenses cum duabus sacri ordinis triremibus, vt M. Magister præceperat, nauigantes ad suos in hostes fere inciderant, sed celerrime cursum retro conuertentes Messanã redierunt meliorem aliã traijciendi opportunitatem obseruaturi. Iamq; in XVI. diem Kalend. Iulij tormentis muralibus arcem perpetuò vsq; ferierãt mille fere globis quotidie emisissis tanto strepitu, & fragore, vt non Melitenses modo, verum etiam proximos Siculos vehementi horrore perfuderint, cum ita mœnibus quassatis, vt per multas ruinas nõ difficulter introrumpi posse videretur, Mustapha omnibus illam cõpijs inuadere decreuit. Hoc interim spatio frater quidã religiosi ordinis Capuccinorum & doctrina, & religione spectatus a M. Magistro ad sustentandum sacra aliqua cohortatione obsecrorum in D. Erasmi animos mittitur. Qui altera manu Christi crucem, altera gladium gestãs huiuscemodi concionem habuit. Si Deus pro nobis, quis

DE BELLO

contra nos? Deus immortalis, Deus fortis, & potens in
 prælio, ipse est Dominus Deus exercituum, cuius maxime,
 & immense vires, penes quem omnium reum imperium,
 & potestas, qui solo nutu totum orbem terrarum, cælo-
 rumq; tremefacit. Nec dubium est eum stare pro nobis,
 pro cuius cultu, & fide contra nominis sui hostes pugna-
 mus. Rex Israel in medio nostri, non timebimus malū
 ultra, Dominus Deus fortis ipse saluabit nos. Nec pro-
 fecto mortalium vires, & arma decet extimescere, cum
 diuino roboramur auxilio: nec hostium multitudo pau-
 rem facere debet, cum mittit auxilium suum de sancto,
 & de Sion tuetur nos, qui est benedictus in secula. In-
 tuemini veteres illos duces Iosue, Gedeonem, Sansonem,
 Iephthæ, Delboram, Iosaphat, Ezechiam, Machabæos fra-
 tres, quorum studiorum, & virtutis vos sacri equites imi-
 tatores estis, quot cum Deo iuuante exercitus prostrau-
 re, quot victorias reportarunt, quot triumphos e victis
 hostibus egerunt. De quibus Dauid, Nec enim (inquit)
 in gladio suo possederunt terram, nec brachium eorum
 saluauit eos, sed dextera tua Domine, & illuminatio vul-
 tus tui, quoniam complacuisti in eis. Quid de ipso Da-
 uide loquar, qui puer existens immanissimum gygantem
 Goliath prostrauit, ceciditq;? Quid post aduentū Christi,
 ne alios reges, & imperatores commemorem, Constanti-
 nus Imp. in quo, nisi in sanctissimæ crucis signo, quod
 ostensum in cælo diuinitus illi fuit, hostilem exercitum
 profligauit? Qua vi, quibus armis Hispani Saracenos nisi
 diuinis e suis regnis eiecerunt? vt D. Iacobum cōtra bar-
 baros secum decertantem non semel aspexerint? Nec se-
 mel vos quidem ipsi sacri equites D. Ioannem Baptistam
 vos, vestraq; mœnia defensantem vidistis. Quid timetis
 pusillus grex? Habemus ducem ipsum Iesum Christum,
 quem vere Deum, & hominem confitemur, & humani
 generis seruatorem: Habemus nobiscum belli socios ip-
 sos angelos ministros Dei: Fauent etiam nobis omnes in-

colæ cœlorum, ne Christi nomen vituperetur in gētibus. Et veluti Iudas Machabæus Oniam, & Hieremiâ expâsis manibus Deum pro sui populi salute obsecrantes aspiciabat; ita mihi videor videre D. Ioannem Baptistam, & B. Paulum Apostolum illum ordinis vestri militaris, hunc loci custodem vestram incolumitatē; & insulæ defensionem a Deo maximo precari. At vereor ne vobis hostiles opes maiores videantur, quam quibus obsisti possit; & dū prudentiores esse nitimini in percipiendis periculis, timidiore reddamini. Si in humanis viribus spem posuimus salutis nostræ, fateor hostem metuendum esse: si solum in Deo speramus, potiores nos sumus. Quid Machabæus ille inquit? Facile est concludi multos in manu paucorū; & non est differentia in conspectu Dei liberare in multis, aut in paucis: quoniam non in multitudinē exercitus belli victoria, sed de cœlo fortitudo est. At vsque quō Domine irasceris in finem? accendetur velut ignis zelus tuus? Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt; & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt. Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ cofitebimur tibi in seculum, in generationem, & generationem annuntiabimus laudem tuam. Exurge, exurge Domine, & adiuua nos, ne præualeat inimicus in nos. Exurge, & iudica causam tuam, & memor esto improperiorum tuorū, quibus te turcæ quotidie afficiunt. Exurge, ne quando dicāt in gentibus, Vbi est Deus eorū. Sed ecce adsunt dicit Dominus dies tribulationis, & de his liberabo vos. Cōfide ergo Israel, & noli tristari domus Jacob. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? In Deo meo trāsgrediar murū. In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nos. At videte quam æqua, & optabili conditione pugnemus: vt beatiore putandi sint, qui pugnando mortem obierint, quam qui supersites fuerint: quoniam immortalem illi vitæ coronā consequetur. Neq; vero Christiani milites pro ciuica, aut

murali corona frōdca, fragiliq; sed pro eterna, & incorrupta belligeratur. Ipsa est cœlestis ille flos, qui ortus est de radice lesse, super quem tota diuini spiritus gratia requieuit. Breuis hæc est, quam agimus, vita; illa autem, quam speramus, æterna. Quod si hoc animo eritis, si ita ad pugnandū instructi, vicini. Profecto bene sibi cōsciūs animus timorem mortis expellit, & spe alterius æternæ vitæ discrimina præsentis vitæ contēnimus. Audente, audente animo estote Christiani milites duce, & commilitone Christo. Deus pro nobis, Deus pro nobis, non timebimus millia populi circundātis nos. In hoc sanctissimæ crucis signo vincemus. Quibus adhortationibus magis accensi milites Christiani, confirmatiq; sacris Ecclesię sacramentis magno animo impetum hostilem expectant. Et Mustapha ad inuadendum arcem omnes copias producit. quibus hæc ille verbis pro tempore prius disseruit.

Quocunq; oculos verto, virorum robora, & animos cerno; vt certam victoriæ spem hodierno die mente concipiā. Meminisse vos oportet vestri generis, & virtutis. Nam turcæ vincendo semper Ottomanicum imperium auxerūt: vosq; his parentibus progeniti estis, qui Rhodum expugnarunt, hosq; ipsos piratas, contra quos arma infertis, inde olim turpiter eiecerunt. Vos quoq; superioribus annis Christianorū classē ad Lotophagitem prostrigastis, ac totum exercitū in ipsa insula deleuistis. Vos hostibus arte militari, virtute, numero meliores, & superiores estis. Par igitur est pro dignitate maiorum vestrorum, ac vestra vos hoc bello parē animum gerere contra periuros, sceleratissimosq; homines, qui toties victi, toties suis sedibus expulsi nunquam deposuere temeritatem, sed confirmare semper audaciā, & humanarum, diuinarūq; légum cōtemptores neq; promissis, neque iurciurando vnquam steterunt rapinis, & sceleribus omnia sædantes. An non percipitis ex illa arce captiuorū gemitus, & querelas, qui vobis genere coniuncti in durissimis catenis habētur, atq;

ipsa

ipsa morte grauiorem cum luctu, & squalore miserā vitam exigunt? Vestram vim, & auxilium implorant; ne salutem suam deseratis etiam, atque etiam rogant. Quāobrem velim vos turcæ non eo animo ad pugnam ferri, quo cum alijs pugnare soletis, aut pro defendendis, aut ampliandis imperij finibus, sed maiore quadam indignatione, ira, & dolore stimulari, accendiq; cōtra victos, & seruos, contra impios, nefandosq; homines nostri nominis, & religionis insensissimos hostes. Nec pro salute certatis, sed pro decore, & gloria: vt illatas iniurias vlciscamini, vt captiuos ex crudelissimorū manibus liberetis, vt de periuris, victis, & seruis impietatis, & iniustitiæ debitas pœnas capiat, vt postremo religionis nostræ cultus sancte, & tuto retineatur. Sed & illud animo reputate hunc diem omnium laborum finem, & terminum fore: nūc pro victoria dimicatur, deinceps pro præda. Nam in hac vna arce totam insulam occupabit. Ipsam vero arcem mœnibus deiectam, & apertam ruinis vndiq; conspiciatis, paruam, a paucis defensam, atq; ijs ipsis vigilijs, laboribusq; confectis, pauore prorsus exanimatis, atq; extra omnem auxiliij spem positis. Et quo maior est animus inferentis, quam arcentis arma, meliorq; obsidentis, quā obsessi conditio, firmiorque vincendi spes in religioso, quam in impio homine, qui malefactorum cōscientia terretur, eo maiore vos ardore, & spe certamen inire debetis. Atq; vbi fatis suos animasse videtur, arcem exercitu circumducit, vt ab omni simul parte muros aggrediātur. Classem quoque a Marzascilocco ad furcas recipit: quod est alterum portus cornu. Declinante autem ad occasum die, hora decima tormentis muralibus, sclopettisq; præliū incipiunt, atq; hostem eminus terrent, & quo illum vigilem habeāt, totam noctē leuiter his iaculationibus oppugnant. Sed vbi lux aduenit, dato signo vniuersæ pugnæ ingentem clamorem, & more suo alalatum attollūt, ac repente arcem vndiq; adoriuntur. Fortissimę, atq; ac-

DE BELLO

cerrime vtrinque pugnatur. Hinc turcarum principes, hinc
 nostrorum duces hortari, monere, minari, suis laboran-
 tibus subuenire, aduersis hostibus instare; miles militem
 ad feriendum hostem inuitare, nec tam se tegere in incertis
 pugnae casibus, quam hostem cedere cupidus; tela, faces,
 lapides vtrinque volare; tormentorum bombi, & sclopetarum
 strepitus, ac tympanorum acrior sonitus terrorē, & hor-
 rorem facere; alij vulnerari, alij obtruncari, alij ex mor-
 nibus precipites dari, alij in caesorum locum succedere;
 gemitus, & clamor vbique; spes simul, & metus omnibus
 adesse; nunc victi, nunc victores videri; nunc animū re-
 mittere, nunc acrius anniti. Ita mars incertus, & pugna
 varia, certaminisque totius facies scæda, & miserabilis. Atque
 vbi maiores ruinae cernuntur, vbique plures consistere pos-
 sunt, praesertim ex ipso ponte, qua nostrorum munimenta
 contingit, dimicatur atrocius. Atque ex altiore quodam
 vallo in summo S. Angeli fastigio his ipsis diebus extracto,
 & ex Guuis prope arcem loco, in quo captiui seruatur,
 non parua detrimenta hostibus inferuntur. Sex horas pre-
 liati sunt, quinquies praelium instaurarunt recentibus de-
 fatigatis submissis, quinquies militum virtute repulsi fuerunt.
 qui extra munimenta erumpentes multo vexillorum nu-
 mero, duobusque signis regis potiti fuerunt. Nostrorum
 CL. desiderati sunt: turcarum praestantissimus quisque aut
 caesus est, aut vulneratus discessit. In his nobilem quendam
 Iannizerorum ductorem extinctum memorat. Dragutes
 quoque ictus saxo, quod tormenti globo collisum in alte-
 rum tempus impegit, magnam sanguinis copiam ex ore,
 & naribus euomit. Caesorum autem summa DCCC.
 fertur. Post hanc pugnam, quos ad D. Ioannis colloca-
 uerant milites, ad se reuocarunt. Et M. Magister de tri-
 bus linguis delectos tres Hierosolymitani conuentus equi-
 tes F. Constantinum Castriottum italicum, & hispani ge-
 neris F. Franciscum Ruizium, & F. Antonium Flottam
 gallum misit in D. Erasmi; qui rerum statum perspicere,

fingulisq; rebus cum cura, & ratione perpensis referrent
 quisq; suam de retinenda, aut deserenda arce sententiam.
 Illi accurate cuncta considerarunt. Ac conuocato cōcilio
 F. Antonius, quia non videt paruam arcē continentibus
 ruinis omni iam ex parte nudatam a tanta hostium mul-
 titudine, & impetu diutius posse defendi, relinquendam
 existimat, & tormētorum, quæ in arce sunt, vsu hos-
 tibus præripiendum, & homines ad potiora loca ex barba-
 rorum libidine, & crudelitate seruandos. Alij contra se-
 tiunt, & ex sacro militaris ordinis instituto, & ex more ma-
 iorum, qui nefas semper esse duxerunt militi Hierosoly-
 mitano locum in pugna deserere, ad vnus internecionē
 esse defendendam: non remittendam patriam virtutem,
 sed ortam ex virtute fiduciam, & specimen antiquæ Rho-
 diorum fortitudinis ad vltimum discrimen resistendo bar-
 baris ostentādum. Quibus, si cognouerint nostrorū ani-
 mos languere, crescet profecto mirum in modum teme-
 ritas, & audacia. quæ audacius cohibenda vel nostrorum
 extremo periculo est, ac confringenda aduersum omnem
 impetum, & fortunam pertinacia. Qua magis ex digni-
 tate probata sententia, cum & ij, qui præsidio sunt, nul-
 lum periculum refugiant, & optent omnes arcis defensionem
 virtutis ergo suscipere, receptis faucijs CL. recentes,
 integriq; milites cum ductore F. Gernio in arcem obscu-
 ro lumine noctis immittuntur, & silētio proximæ noctis
 sacri ordinis milites XXX. Quicquid autem a certamini-
 bus quietis, & otij datur, id militaribus operibus impe-
 ditur in muris, munimentisq; interdiu, ac noctu reficien-
 dis. Magnus præterea conatus ad excindendum pontem
 adhibitus nequicquam fuit: donec audens quidam miles,
 & animo firmior in fossam demissus bonam illius partem
 face combusit. Sub idem fere tempus in arce S. Angeli
 in officina, vbi fabricabatur, tormentarius puluis casu, vel
 cuiuspiam socordia flāmam ex igne concipiens decem ho-
 mines, qui præsentēs erant, exanimauit, vnde hostes læ-

DE BELLO

titiam pro re ipsa maiore accepere. Nec segnior est oppugnatio; precipueq; omnem in prohibendis auxilijs diligentiam ponit; ac preter sclopettarios positos in eo loco, qui Grotta Alliate dicitur a specu, quod non longe abest a cauea, per quam auxilia intromittebantur, ut venientes arceant, etiam in Renellæ sinu actuarias cymbas collocat, quæ scaphas intercipient. Tum iterum arcem adoriuntur, ac lentius prælium incipiunt, ac tormentis primū terrent, dein sagittis, & sclopettis feriunt, solumq; id agunt, ut territi, suspensiq; fatigetur: mox sensim acrius lacessunt, ac urgent vehementius. Itaq; prælium atrox accenditur. Diem, & noctē pugna continuatur cum multorū vtrinq; & optimorum militum, & ducum occisione. Nostrorumq; præstantissimi intereunt Mirāda, & F. Petrus Mesues. Prima vero luce maioribus copijs prælium renouat, inq; certā spem victoriæ adducti redintegratis viribus, ac factō impetu acriore arcem vndiq; inuadunt, nudatamq; a longa cæde propugnatoribus capiūt. Vigesimo autem quarto die, quam oppugnari cepta est, capta est. Capta est autem profecto S. Ioannis Baptistę die. Ingens ortus est circum clamor turcarum, & alacritas; subitoq; signa regia in moenibus captę arcis præfigurantur; atq; euestigio clasiss vniuersa ornata vexillis magna cum pompa, tubarū, tympanorumq; sonitu, tormentorum bombis, gentisq; tripudijs ducitur in Misidis portum. quanquam antea singulis fere noctibus latenter illum aliqua naus actuaria subibat, seq; in aliquem tutum sinum, flexumq; recipiebat. Hoc ipso die Dragutes ex vulnere superiori prælio (ut diximus) accepto moritur. Cuius mors turcis nō fuit certe leuis. Tot etiam turcarum trierarchi, militumq; ductores, ac principes viri in vnius arcis expugnatione ceciderūt, ut victorię nuntium, quod Sciroccus vnus ex Algerij piratis Constantinopolim attulit, ob tantorum virorum iacturam non satis lætum ne Solimanno quidem ipsi fuerit. Suspectus autem proditione quibusdam fuit F. Paulus

Auogradrus

Auogadrus, quod lingua græca, quam optime callebat, in debiliorem muri partem hostes aduocasse, atq; immisisse diceretur. Quam rem vanam experugis, captiuusq; cognouimus. Quin ipse F. Paulus inter pugnantem fortiter dimicando occiditur. Nec difficile sane fuit post interceptam auxilijs viam in dirutam, & vacuam defensoribus arcem introrumpere. Nam magna pars occubuerat, pars etiam vulnerati, pauci reliqui erant, & ij ipsi vigilijs, æstu, laboribus fessi, lasq; ; vt egregia eorum virtus putanda sit, quod tot dies tantam oppugnationem sustinuerint. Hostiũ, qui in tota hac expugnatione cecidere, numerus VI. m. fertur. Nostri mille homines supra CXL. sacri militaris ordinis deperdiderũt. Cæterum crudelitas, quam superbe non modo in viuentium corpora, sed in mortuorum quoq; cadauera exercuerunt, plus quam barbara fuit contra omne ius belli, omnemq; humanitatem. Nam primo capita ceruicibus absciderunt, tum in crucis formam pectoribus dilaceratis scœdum in modum viscera extraxerunt, eandemq; crucis formã in plantis inciderũt, postremo corpora nudantes, colligãtesq; multa simul inter se brachijs, pedibusue in mare proiecerunt. Flabat tũ forte aquilo, & fluctus ad litora impulsus aliquot cadauerum, quæ secum deuoluebat, in terram exposuit. Quorum aspectus cum inauditæ crudelitatis execratione, & ira magnum dolorem, & misericordiam attulit, lachrymasq; cernentibus excitauit. Paucis anima relicta fuit; quos victoris auaritia seruauit. Qui vero se in mare coniecerũt, capti fuerunt ab his, qui litora circum scaphis obsederat. Vnus, & alter nando perfugerunt. At M. Magister suos tanto luctu, & vulnere ictos partim publico, partim etiã priuato vt aliqua oratione sustentaret, simul etiam terrore percussos ad virtutem erigeret, huiusmodi verba loquutus fuisse dicitur. Nolim casus iste vos terreat sacri equites. Nam capta arx, quam prius expugnatã non fuisse miramur, nõ terrorem vobis debet, sed animum addere:

nec interitum lugere nostrorum, sed virtutem imitari decet. Quid enim obsecro illis accidit non optandum a nobis? Pro christi nomine, pro Christianorū defensione, pro nostra religione fortiter in bello occubuerunt, & ex mortali hac in immortalem illam vitam emigrarūt. Quid autē aliud nobis in animo proposuimus, quā quod illis euenit? Mors naturę est: verū cōtra Christiani nominis hostes pugnādo vitę finē cōtingere, hoc Hierosolymitanorū militū propriū est opus, & decus. Hoc est in Deo feliciter mori, & naturę gloriose cōcedere. Forti, & generoso militi nō alius propositus est vitę finis, quā virilis in bello mors. Et nos arma, & crucē in pectore gestamus profitētes sacros milites esse, & pro Christo morti vitam libēter obijcere: Qua re militi Christiano nihil beatius, & optabilius esse potest. Hoc illis diuina quādam sorte contingit. Et misereri potius illorum sortem, quam optare? & felicē exitum deslere magis, quam facta extollere dignum ne vobis censetis? Viri fortes strenuam mortem amplecti, vitā ignauam fugere, decus, & immortalitatem quærere. Equidem nullum beneficium a Deo militibus Hierosolymitanis conferri maius puto, quam si illis contigerit pro religione dimicādo sanguinem effundere. Nec profecto si nobis vllus est mceror, illis est ingens ex istac victoria gaudium. Tot illorum cæsi, tot strenui desiderati, tot vulnerati bello amplius inutiles sunt; vt longe maior illorum iactura, quam nostra putanda sit. Lachrymas igitur, & luctum mulieribus relinquamus; nos ad illorum virtutis, & pietātis æmulationem decet accendi: & quid valeat militaris ordo D. Ioāni sacer, Christianę reip. munimentum, barbarorum metus factis, non verbis ostendere. Probabile porro est inde turcas in nos arma cōuersuros: sed arcem illam magis opere, quam loco munitam; nec opere quidem satis ad resistendum, tantummodo ad primos hostium impetus excipiēdum paruam, & angustā

si tot dies, noctesq; tanta vi, tanta militum, & armorum
 copia, vix tandem sine maxima suorum caede, post inter-
 clusam nostris auxilijs viam expugnarunt; nunc praëlorum;
 & laborum diuturnitate, atq; æstu defessi, viribus contu-
 si, melioribus bello consumptis qua arte, qua vi, qua mi-
 litum virtute has arces natura, manuq; munias capient?
 An secum illi non reputabunt, si in hac vna expugnatione,
 quæ facillima videbatur, tot difficultates adfuere, quid
 erit in alijs negocij? Accedit, quod si qua in illis audacia
 est, minuitur metu Christianæ classis; quam paratam esse
 nobis nuntiant, illi venientem in dies formidant: vt cogatur
 terra, mariq; semper instructos esse. Ira copiarum, &
 animus diuidi. Hæc sane res metum illis, & anxietatem
 parere, nobis animum, & fortitudinem augere debet. Quo
 virtus illa, quam ante ostentabatis cupidi adeo pugnandi
 cum his ipsis hostibus, qui semper insulae vastitatem, &
 nostri ordinis exitium minitati sunt; ne, quod imminere
 bellum singulis annis sciebatur, illud dubijs animis am-
 plius expectare cogere mini? sed aliquando virtutem ve-
 stram experti ab omni temeritate, iactantia, conuicioq;
 abstinerent? An erimus ante periculum audaces, in ipso
 periculo timidi? Salus armis, non dedecore nobis que-
 renda est; quos sola virtus audaces debet efficere quibus
 aut moriendum in praëlio, aut vincendum est. Vtrumq;
 vobis dignum, qui genere, virtute, religione nobiles e-
 quites estis. Equites D. Ioannis contra impios, & bar-
 baros homines, strenui contra ignavos, bello periti con-
 tra imbellem multitudinem pugnamus. Illi sine vlla præ-
 mij, aut prædæ spe, coacti magis imperio tyranni, quàm
 vllius honoris studio; nos sponte, pro religionis nostræ
 defensione, pro fama, & salute nostra. Satis est vobis in
 memoriam virtutem vestram redegisse. Vos ipsi intelli-
 gitis in quo bello versemur, & quanto animo, & virtute
 opus sit. Mox vt omnem trepidationem, & tumultum cõ-
 primeret, publicumq; luctum coaceret, edicto cauit, ne

DE BELLO

quis gemitus, aut comploratus exaudiretur. Hoc interim pro certo nuntiatur ingentem classem Messanæ paratam, instructamq; esse, ac Gartiam breui subsidio adfuturum. Quo nuntio mirum in modum omniū animi arrecti sūt: quos hostium inopinata crudelitas ad obsistendum quoq; magis exciuit. Nam vbi animum aduerterunt ab hoste nullam salutem sperari posse, effecit desperatio, quæ nullum periculum præuidet, audaciam; audacia metum expulit; metu expulso vires, animusq; creuere. Ita timor animi hostium sc̄uitia exacerbati a desperatione salutis in audaciam conuersus est. Quamobrem vel ipsi Melitenses homines, quanquam rerum bellicarum imperiti, neq; vllis armis assueti, timidiq; natura, tamen certū discrimen adesse cognoscentes, ac deiecti ab omni spe clementiæ, & lenitatis impetrandæ ab hostibus, omnem operã deinceps in tota obsidione impigre nauarunt. quorum nimirum ob oculos vltimi cruciatus, & sc̄edisima mors obuersabatur. Mustapha post expugnatã D. Erasmi arcem, & exhibitam crudelitã ratus in sua vota reliquos metu descensuros, legatum ad M. Magistrum de deditioe mittit. Is captiuum quendam hispanum, ætate senem præmisit, qui orãdi facultatem rogaret. Sed captiuus acriter reprehensus, & grauius monitus fuit, ne quis amplius accederet, ni vellet in crucem tolli. Legatione nihil opus esse; armis, non verbis decertandum: fossam, quam cernebat (ostendebant autem fossam circum mœnia diductam) sepulchrum fore turcarum. Nullam vnquã illis cum equitibus Rhodijs neq; pacem, neq; pactionem fore. Nihil se metuere, ac malle prius omnia perpeti, quam in deditioem, aut sc̄edus vilum venire. Missa quoque fuit eodem tempore ad oppidanos legatio, quæ illos ad societatem, & cõmunitatem vitæ, victusque pelliceret. Sed legatus velatis oculis inter duos milites Hierosolymitanos ad oppidi præfectum deductus est: qui literas ad Melitenses scriptas reddidit. quas qui legeret interpres, cum inueniretur

niretur nemo, ipse legatus sensum illarum explicuit. (erat autem Nicensis, qui a Christiana religione ad Mahometanam desierat.) Literarum sententia hæc erat: Bassam eos habere sociorum loco, non ducere in hostium numero; omnes ipsorum fortunas, & corpora inuiolata fore: vt pacem tuto agitent, & rerum inter se commercium libere habeant, velle: ne quid hostile metuant, neq; a turcarum consuetudine abhorreant monere, & spondere. Ad quæ oppidi præfectus respondit. Qui Rhodijs equitibus hostes sunt, eosdem esse Melitensibus aduersarios; nec vnquam se talem consociationem permissurum. Itaq; ex oppido velatis adhuc oculis educitur ad suos, qui in D. Martini haud abhinc longe illū morabantur numero CC. Quam rem M. Magister minus probauit. Nolebat enim turcarum quenquā audiri. Postquam vero Bassa nostros pertinaci animo stare ad resistendum vidit, insulam Sengla, & vicum simul obsidere, atq; inde summa vi oppugnare festinat: machinas, & tormēta trahi iubet, tormētorumq; munimentis, & aggeribus loca designat, quæq; in oppugnationis sunt vsum, celerrime administrat. Cōtra nostri pariter ad vniuersa opera militaria incumbunt; quibus aduersum omnem oppugnationē armentur. Nec viri solum Melitenses cum seruis, verum etiam pueri, atq; mulieres in cædendis cespitibus, in exhauriēda terra, in iaciendis aggeribus, in extruēdis vallis, in deducēdis fossis, in subministrandis lapidibus, tabulis, virgultis, stramentis pro se quisq; dies, & noctes elaborant. Excubant duces ad opera, singulosq; hortantur, vt labores lubēti animo perferant, neq; vllum omnino tempus ab opere remittant: rem communem geri; tempus nihil lāguidi, & remissi pati. Est sacer iste militaris ordo ex diuersi generis hominibus institutus, pariterq; in nationes diuisus, quas linguas appellant. Quibus singulis nationibus (sunt autē octo) certa loca munienda, & defendenda attributa sunt. Insula Italarum est: quibus præest F. Petrus de monte.

DE BELLO

In vico, in quo M. Magister agit, plures sunt stationes. Quod muri est prope Xenodochium, Germanis assignatum fuit. quibus cum Angli, quoniã pauci numero sunt, censentur. Angulus muri iuxta litus infirmarie a Castellâ Hispanie nomen obtinuit: a quo ad alterum angulum Aragonie nomine signatum prope marginem medij portus deducta moenia, & propugnacula partita sunt Frachis, Aruernis, & Prouincialibus; quos olim Romani Brachatos Gallos vocauerunt. Ac ita quidem nationibus loca distincta sunt, vt etiam communi ope, absq; vlllo gentis, generisue discrimine defendantur. Sæper tamen interim manus aliqua turcarum prædabunda per agros passim, & insulam vagatur. In præruptas autem illas rupes, quæ ad libycum mare conuersæ sunt, nobiles D. Magdalene templo, XL. circiter Melitenses cum vxoribus, & liberis ab initio se se metu abdiderant. Spelunca, in qua abditi latebãt, tantum ab imo rupis extollitur, & a summo deprimitur, vt aut per funem se demisisse, aut scalis eo conscendisse necesse fuerit. Qua re comperta ex captiuis, C. ferme hostes eo loci spe prædæ conuolant, latitatesq; homines, ac nulla vi per ignauiam, & pauorem obsistentes capiunt. Quod postquam oppidi præfecto nuntiatum est, nulla mora interposita F. Vincentius Anastasius cum LX sclopettarijs, quem totidem equites ducens F. Coronellus subsequutus est, ad rupes gressum accelerat. Ad quarum summitatem vt peruentum est, monet, vt ne quis strepitus edatur, sed effuso simul vniuerso terrore ex improviso inopinantes hostes, & incautos opprimant. Illi ad fontem aque dulcis corpora reficientes, nec vnquam tale quicquam sperantes, neglecta omni custodia otiose iacebant in litore cum præda rerum, & mancipiorum. in quos nostri dato signo vna repente omnes sclopettis semel, atq; iterum e rupis summo iaculantur, ac illorum V. prius occidunt, quam arma capiant inopinato casu perterriti: arreptis armis, & sarcinis euestigio se in fugam conijciunt. quibus tempe-

stiuē iter præcidi non potuit; quoniam deterrima est ad litus via, præceps, & angusta. Qui vero expediti ocyus descenderunt, fugientes audacter, & acriter insequuntur. Ex quorum numero XII. amisissis, & ductore, XX. quoq; captiuorum tanquam graui sarcina relictis, reliqui periculum celeritate effugere. Ita seruati, qui imprudenter præ metu se occultauerant, & turpiter capti præ ignauia fuerant. Rursum alias e CCC hostibus I. cæsi sunt amissa pecoris præda, quam ad oppidum rapuerant, tribus dumtaxat e nostris vulneratis. In his fuit dux equitum F. Petrus Antonius Baresius, M. Magistri equiso, Eguarasij successor; quem vulnus (vt ante diximus) in vertebra manus acceptum minus habilem ad pugnam reddiderat. Sic hostium excursiones ab equitatu sæpe cohibet, & pleraq; secundo euentu prælia commissa sunt: quæ hostilem audaciam infregerunt, ac nostrorum ad virtutem studia excitarunt. De omnibus autē rebus, quæ gerebantur, ædificatis ad transmittendum fretum paruulus nauiculis, atque corijs intextis, Gartiam Toletanum certiozem faciebant; vt ne salutem ipsorum desperaret, sed iuaret auxilijs, atq; opem in tēpore afferre properaret, neq; rē alioquin in graui existentem discrimine ad extremum casum perducere sineret, quādo nullis subsidijs subleuari possit. Modo nullis aduersariorum clasibus oram maritimā teneri, equitatum per totam insulā libere percurfare, hostes nullam rem magis, quam equitatum timere, equitatus præsidio tuta, & expedita itinera a litore ad oppidum fore: cæterum ipsos nulla re æque, ac militum paucitate afflicti. Quāobrem etiam, atq; etiam orare, vt subsidiū aliquod mature mittat. Igitur IIII triremes deliguntur, Siculæ duæ, duæ itidem Melitenses, quæ DC. milites transportent. Ioannes Cardona dux triremium nō semel ad nigram vsq; petram inuectus est, nec vnquam ausus fuit in terram auxiliares copias exponere. Quam alij in tantis rerum obscuritatibus, ancipiteq; fortuna cautionē vo-

DE BELLO

tabant, alij formidinem interpretabantur; vt qui nullum periculum præfens viderent. Postremo Martinem quendam ad oppidū misit, vti præfectū moneret, cum auxilijs ipsum adesse, ac disceret quo in loco exponi possent, vtq; tutū excensum crebro ille fumo significaret. Qui mandatis non segniter peractis, insequente nocte ad Cardonam redit. Sed cum totum diem nauigando nuspiā illum inuenisset, coactus cibariorum inopia post lucis extremum ad oppidum reuertitur. Adiunctus deinde illi socius est F. Chenius Gallus, rerum maritimarum minime ignarus. cui præterquam quod mandarunt, vt ad Siciliam vsq; nauigaret, si nō in propinquis Melitę locis Cardonā reperi- ret, tum illud præcipue, ne quam de expugnatione D. Erasmi cuiquā mentionē faceret, sed caute omnia tegeret, prudenterq; dissimularet. Occulta enim esse principum consilia, mentesq; volubiles. Quæ quidem res sapienter cogitata fuit. Nam si quid de D. Erasmi Cardona sensisset, nunquam ex Gartię præcepto milites e nauibus exposuisset. Quod sane subsidium obses salutem, insulę incolumitatem attulit. Cum igitur per multa loca nauigasent, tandem ad Puzallum appellunt; (est sinus iste in australi ora Sicilia XX M. pass. interuallo distans a Pachyno, a turri, quæ illic extracta est, ita nominatus) vbi Ioannem Cardonam offendunt varia de Martine, ac de hostibus suspectantē, illumq; hortantur, vt intrepide classem ad Melitam applicet. Docent excubias a nostris agi, ignos perpetuo fieri, nullam viam ab hoste impeditā esse, equitatum per vniuersa loca libere peruagari, omnia tuta fore. Quorum verbis animatus e Puzallo soluit, vela ad Furfuram dirigit, cōspectoq; igne pridie Kal. Iulij nocte socia quanta potest festinatione DC. milites in nigrā petram exponit; Hierosolymitanos milites LX. CXXX. milites veteranos ducit Melchio Robles præfidiorum Sicilia, & Syracusarum præfectus; CXX. F. Augustinus Riccia; reliqui nauales milites, & volūtarij: in quibus nobilissimi iuuenes

iuuenes plerique; quos aut religio, aut militaris artis sciētia ad hoc bellum mouerat. Quibus (re sub lucem nuntiata oppidi præfecto) cum iumentis obuiam itur. Verū illi ad omnem casum instructo agmine pedibus procedūt. Ingressiq; oppidū corpora primum ex itineris labore, & nauigationis tēdio refecere; tum custodij rite dispositis, ne quis ad turcas profugeret, capto prius a tribus equitibus quodam gręculo, qui ad hostes perfugiebat, ipsi primarij duces de intrando vico inter se disserere. Nam videntes hostes armis, nō pactionibus rem peragi oportere, abiecta omni cunctatione Vicum, & insulam Senglæ vallis cingere, atq; in his tormenta disponere cæperāt, (quarum rerum in turcis est laudanda non parum peritia, & diligentia) diuersisq; partibus opus aggressi, in ipsa D. Erasmi lingua iuxta Alliatæ specu duobus iactis aggeribus quatuor tormenta collocarant; quibus præpositus est Liamisu genere turca. Totidemq; aggeres tormentis quinque; recta S. Angeli arcu aduersos excitauerāt, atq; inde longius duo tormenta contra rostrum insulæ oppoluerāt; quibus locis Meimi Galata militiæ magister præsidet. In Coradini colle tribus aggeribus decem fere tormenta firmarant, quibus totum insulæ latus percuterent; vbi est Mustapha cum Alim Portuch Rhodi præfecto. Hinc collis est, cui nomen Mandria, in planitiem sedemittens, vnde insula protēditur; in quo Dermos Ligur, qui Christi fidem abiurauerat, tormenta tria custodit. Atq; inde, vbi ædes est D. Mariæ a subsidio vocitatę, duobus aggeribus septē tormenta vallantur præfecto Curtogulo; quarum alia S. Michaelis, alia vici mœnia serirent. Ad S. vero Margaritę ingens vallum extractum est, atq; in eo quatuor signa regia præfixa, quæ in prælium inferri solebāt, cui præest Assan rex Algerij, qui cum XXVII. rostratarum nauium classe, & bis mille ac quingētis militibus his ipsis diebus aduenerat. Vbi quisq; curabat, illic tabernacula statuerat, locumq; more suo vexillis ornauerat.

DE BELLO

Quorum operum administratio præ tormentarij pulueris inopia disturbari, impediriue minime potuit. Quo circa M. Magister his operibus claudi se videns ad oppidi præfectum scripserat, vt auxiliares copias, quæcunq; venisset, apud se haberet; omnem enim ad Vicum, & insulâ Senglæ viam interceptam esse, ac vallis, tormentiq; firmatâ; igne tamen auxiliorum aduentum declararet; vt de oppidi saltem præsidio aliquam lætitiâ secum ipse animo caperet: se alia sibi cum Deo via consulturum. Literæ datæ erant III. Kal. Iulij. Vbi vero collem Scruatoris nondum occupatum esse inspexit, statim alteras literas dedit, quibus iubebat, vt ipsâ eadē nocte, quæcunq; allata fuissent auxilia, priusquam omnes aditus intercluderentur, ad Renellam mitteret. ibi paratas esse cymbas, quibus ad vicum traiciant. Quæ literæ in primariorum virorum concilio recitatæ, quod prioribus repugnarent, non incuria, sed malo animo scriptæ quibusdam videbantur: vt nimirum per media hostiû opera ipsi irrumperent; quod minus alijs prospiceret, dum aliquibus ille subsidijs in extrema spe salutis iuuaretur. Igitur per hominem Melitensem M. Magistro significant, vt aperire, quoniâ res apud eos est in opinione dubia, quid faciendû sit ipse decernat. Ad quos extemplo rescribitur, ne quod temporis spatium interponant, ad Renellum quamprimum veniant, priusquam hostes Scruatoris collem obsideant: facturum se summo signum, siquid; interim aliud hostes moliantur, aut periculi aliquid oriatur. Tum illi contra omnē fortunâ, & periculum magno animo elati (quibus se addidit F. Barenius, sibi F. Beubertonem in oppido substituens) nihilum cunctantur, ac paulo ante vesperam instructi, intentiq; procedût, Melchione Roble primum agmen ductante, extremum F. Petro Boninsegna. Qui ad vitandum excubias hostium, & stationes vsi longiore viæ circuitu, & molesto itinere tum salebris aspero, tum multa lapidum congerie difficili, vt venerunt ad pagum Zabar

M. pass. a vico ex equis desiliunt, pedibusq; contendunt, nō interim absq; aliqua perturbatione, cōfusus inter se militibus, vt pote obscura nocte, & in periculoso, ac suspecto itinere; augente vana quædam nocturno errore, & tumultu. Demum sex hominibus amissis, & vno sacri ordinis equite, qui cæterorum vestigijs insistere nequuerant; decem quoq; deperditis iumentis cum retro ad oppidum deducerentur, reliqui omnes ad Renellā incolumes perueniunt, atq; inde paratis cymbis, & scaphis ad vicum per commode transmittuntur. Quorum introitus quantum animi, & audaciæ dubijs nostris in tantis difficultatibus fecit, tantū hostibus doloris, & iræ attulit ob auctas aduersariorum vires, & falsas suorum vigilias, atq; custodias. Illis igitur incredibili cum gaudio exceptis, ac per vicum, & insulā Senglæ, vti res postulabat, dispersitis suis cuiq; locus attributus est; quo intentius quisq; suā custodiam, & stationem serualet, & certa opera maiore cura obiret. Sed par est (nam ante vici loca descripsimus) quæ cuiq; loca insulæ distributa sint, referre; quæ inde nomen adepta, & præclaro aliquo facinore nobilitata fuerunt. Murus, quo insula Sēglæ a reliqua parte linguæ dirimitur, a S. Michaelis portu leniter in linguæ dorsū asurgit; (nam tota verrucosa, & tumulosa est) tū ab æquali tractu paululum se extra porrigit, ac deinde in quendam quasi gyrum cōuersus propugnaculum efficit, quod fossam tucatur, accessumq; ad mœnia prohibeat; postremo in alterius portus oram descendit. in qua vna muri parte porta est, qua in insulā intratur. In medio linguæ dorso iuxta propugnaculum, quod modo diximus, super imminet muro S. Michaelis ingens turris, in altitudinem multorū pedum elata, ac quadrato muro extructa, mox etiam, qua muro imminet, vallo tanquam lorica permunita. Portæ custodiæ Bermefotonis pagi præfectus cum manu quadam Melitensiu præest; Propugnaculo F. Antonius Martellius; Prope vallum turris F. Carolus Ruffus

DE BELLO

stationem habet; Cæterum rostri mœnia F. Franciscus Sinoghera tuetur. At murus, quo latus insulæ munitur, nunc in angulos, nunc in gyrum inflectitur, quo pluribus inuicem propugnaculis defendatur. Atq; vbi ad rostrū curuatur, hic locus attributus est Siculis: Hinc propugnaculum in duos angulos e muro duobus æquis hinc inde lateribus porrigitur, Bormora nuncupatum; in quo quippe sunt Melitenses ij, qui suburbium Bormoram habitabant: Nec inde longius in gyrum se murus circumagens rotundum aggerem complectitur; cui præsidio est Melchio Robles: Verum qua ad alterum murum deducitur vsq; ad Ruffi stationem, milites F. Augustini dispositi sunt. qua parte murus longius abest a litore ob maiorem tumuli, collisue procliuatam; cum alijs in locis absit pedum XXX. circiter interuallo. Hunc igitur in modum insulæ partes, & loca quibusq; ordine distributa sunt, atq; in his milites collocati. At vero turcæ hoc acrius post quinque dies in suis illis militaribus operibus cōsumptos Non. Iulij mœnia, valla, turres, propugnacula tormentis ferire aggressi, breui totum insulæ latus, & rostrum concusserūt, ac multas S. Angeli, & S. Michaelis pariter edidere ruinas, mille ferme globis singulis diebus emisissis. Tormenta validissima, & immensa, & quædam a pestilentissimo serpentis genere vocitata basilisci: minimusq; globus pondo librarum LXX. reliqui CL. & CCV, & CCL. quorundā etiam saxeorum globorum ambitus VII pedum erat. Vbi propugnacula grauius adeo cōquassarunt, & multis partibus insulæ mœnia perreperūt, ad illam terra, mariq; inuadendam omne studium, & laborem intendunt. præcipue vero in rostrum, quod ruinis maxime nudatum apparet, quoq; sperant facilius posse introrumpere. Igitur magnam nauium facultatem comparant, & a Marzamuscetto in alterum portum quasdam noctu per fauces immittunt, quasdam per interiectam terræ linguam actuaris cymbas, Scaphas, minoraq; alia nauigia traducunt.

Quod

Quod ubi nostri equitatu a captiuis compererūt, quo ad reprimendum hostium excursiones, pariter & illorum negocia specularum per vniuersam insulam frequēter volitabant, M. Magistrum maturrime rem edocent. Qui a perfuga quodam Spacho idem edoctus illico defixis procul a litore pedes fere XII in mari præacutis sudibus, atq; stipitibus, superq; refixis trabibus, & antennis latus insulæ præcepit. Quod opus turcæ multis modis corrumpere tentarunt. Medium autem portū iam ferrea cathena cōcluserat: quā hostes necquicq̄ sæpe conati sunt misilibus tormentorū globis proscindere. Tum quāta potest opera, & solertia murorum detrimenta, & munimentorum reconcinat. Terra, palis, tabulis, funibus anchoralibus, velis, simul & stratis, & quæ in manum veniunt viminū, ac fascium loco pro nouis muris munimentisq; facit, ruinasq; refarcit. Duces ipsi milites in muris, munimentisq; disponunt; armatosq; iubent omnem hostilem impetum expectare, hortanturq; vt ad omnem laborem, & certamen animo parati sint, nullisq; incommodis perturbentur, quæ virtute sarciri queant, sed adhibeāt ad subleuandam aduersam fortunam industriam, & audaciam, in quibus omnium tutissimum præsidium est. Quamobrem si pro dignitate quisq; sua, & virtute operā præstent, quā ducibus pro religione Christiana, & sacro ordine militari constituerunt, nihil se de victoria dubitare affirmāt. At Lucialim Calaber, cui maritimum negocium cōmissum fuit, actuarijs cymbis, quas cōtraxit numero LXX, parua singulis tormenta imponit, proras, & latera tabulatione communit, faccisq; lana, & gossipio plenis, anchoralibusq; funibus, atq; huiusmodi rebus alijs ad sustinendum telorum, & pilarum ictus suffulcit; vexillis quoq; cuncta, vt est mos gentis exornat. Ad hæc firmissimū quēq; ex Iānizerorum robore, & Algerij militibus, maxime vero imperitos nandi deligit; ne quis in vllam cogitationē surgæ periculi metu veniat a scientia natationis; sed æquata

DE BELLO

fortuna omnino sibi quisq; irrupendum animo proponat. Illi autem Id. Iulij cum nostri totam nocte insomnes egissent propter frequētes hostilium armorum iaculationes, subeunte die magnam sub Coradino cymbarum multitudinem ex insula conspiciunt, tormentiq; bombo rem ceteris obscuram aperiunt. Hostes inde magno cum tympanorum sonitu, atq; clamoribus, quoniam cymbas remis applicare non possunt ad insulæ latus defixis palis, transfuersisq; antennis præseptum, ad rostrū appellunt non dum præclusum eodem palorum, & antennarum munimento. Est sub arce S. Angeli in ipso lingue rostro paruum, humile, & quadratum præpugnaculum: quod turcæ primum diruere tormentis, tum quoniã res minus succedebat, ruinis super imminentis arcis opplere conati sũt, quam huius gratia scriebant. verum illud a nostris purgabatur semper. ex quo ad insulæ rostrum accedentes hostes frequentibus tormentis appetunt, terrēt, damnis, incommodisq; afficiunt, mortales, simul & cymbas labefactant. Tandem duo millia fere, & quingenti hostes expositi magno impetu, ac vi mœnia continenter inuadũt. Ad quæ nõ pediti modo, verum etiam equiti facilis erat ascensus. Ita perrupta, & æquata ruinis erant. Eodem quoq; tempore sex millia hostium circūfusa ex altera parte insulæ frontē, & proximum latus oppugnant. Ac tum primum incerto Marte concrepantes milites armis alius alium constanter ad victoriam hortantur: vbiq; monitiones, & cohortationes audiuntur: volant vndiq; lapides, faces, arma, tela. Ita summa virium, & animorum contentione vtrinq; res geritur stimulante ira, spe, metu. Et quoniã hostē immitti non est quidē nostris salutare, neq; hostibus tutū in angusto loco terga vertere, & telis, sclopettisq; obijcere, cum multa fugam morētur, & officiãt; præliū, & vires magis, ac magis acuũtur: ancepsq; fortuna in varias partes mouet animos, ac flectit quo, inclinãre videtur. Sed tanta fuit nostrorū virtus, animiq; præsetia,

vt contra omnem impetum pertinaces, post quatuor horas pugnatam accerrime pugnam hostes valida impressione repulerint. Concidit omnis aduerso Marte turcarum audacia; victaq; viuis, atq; ferocia est. Nostri crescente prospero successu alacritate dubijs hostibus instare magis, atq; vrgerere, cedere, opprimere, lætitiã, & victoriã clamoribus, tympanisq; significare. Itaq; haud facilis vultus est, & tutus hostibus metu, & trepidatione turbatis ad naues receptus: sed fuga, & cæde coaceruantur alijs super aliorum vadentibus, & ruentibus corpora; occupatoq; litore procurrentium turba, dum alter alterum conatur in fuga præuerrere, a conscensione in naues inuicem exturbantur, & ab hoste, & a suo tumultu præpediuntur: quæ prius in tanto metu, & periculo nauigia conscendunt, neminem expectandum rati, ea ocyus a litore abigunt. Hinc quidam suspensi trahi, quidam in terra apud hostes relinquunt. Quos nostri foras erumpentes omnes ad vnum obruncant: quatuor dumtaxat ad hostium facta, & consilia disquirenda viuos capiunt; atq; eos deinde post longam disquisitionem populo melitensi excrucianos dedere. quod illi prius, quot quot e nostris cepissent, crudelissime necassent. Idemq; vt de captis hostibus faceret, oppidi præfecto mādatur est. Spectaculum eo die varium, & horribile cymbarum, armorum, hominum. aliæ frangi, aliæ deprimi, aliæ remis huc, & illuc magna cum trepidatione agi. Vbiq; scuta, arcus, pilea, diuersiq; coloris togæ, vexilla, tabulæ, quæq; innare aquis possunt, per vndas ferri. Turcarum alij in ipsis scaphis latere, alij manibus pendere, alij paulisper nare, alij emergere, alij subruui, alij animam efflare, alij in ipso litore semianimes iacere. Septem circiter cymbæ depresso, labefactatæ plures. M, CCC hostes aduersa pugna, & suis quemq; casus aut ferro, aut igne, aut aqua absupsit, deperditis nostrorum CL. Is igitur pugnae finis lætam in præsens tempus victoriã, & bonam spem in futurum nostris attulit, ho-

ribus ferociam, & barbaros spiritus contudit. Qui dein-
 de a rostri quidem conatu destitit tanquam fatalis, &
 exitiosi; sed vici latus tentare student in Seruatoris colle
 XX positus, ac paulo pluribus tormētis; quorum duobus
 alterum S. Angeli latus, reliquis Germanorum stationes,
 & Castellæ præfidente Pialim Bassa percutiatur. Quem
 locum prius non occupasse, magnum certe nostris fuit ad
 salutem momentum. Quin etiam ad alterum latus Ca-
 stellæ feriendum in Carcara (qui collis a fornacibus ita vo-
 citatus est, in ipsum infirmariæ portum recta prospiciens)
 duo tormenta firmantur. Quod opus alter Curtogulus
 curat. Iam ergo omnem ad nostros aditum, & loca cir-
 cum amplexi sunt hostes: rursūq; accensā ex aduerso prio-
 ri certamine ira, tantam globorū procellam vndiq; tor-
 mentis emiserunt, vt nulla mænna, & munimēta vim eo-
 rum diu sustinere potuerint. Et quoniam ad inuadendā
 manu Castellam per infirmariæ litus, & extremum fossæ,
 quæ cingit vici frontem, eos transire oportebat, ad cor-
 rumpendum cæcæ domus vsus, que in ipsa fossa sub Ar-
 uerniæ turri Misilibus tormentorum globis e tribus fenestris
 trāsitus prohibebat, ex Carcara latus Castellæ feriē-
 do terra, & cæmentis, quæ corruerāt fossam primū im-
 plere; tum ex trāsfosso crepidinis fossæ muro lapides, &
 terram simul iacere (neque enim his nostri, quibus tutum
 non erat ab hostium iaculationibus in muris consistere,
 obsistere vlla vi, aut arte poterant) postremo lignis,
 & palis opus adiuuando ruinas iungere. Sic cæcæ domus
 interiit vsus; & post iunctas ruinas hosti tuta fuit ad Ca-
 stellam accessio. Eodemq; pene modo ad inuadendum
 insulæ latus alteram cæcam domum sub Martellij propu-
 gnaculo obstruxerunt. & necubi aut venientes, aut ab-
 euntes conspicerētur, domorum parietes, quæ simul iun-
 ctæ erāt, vt in Bormora, & in huic oppositio insulæ Sen-
 glæ litore, perfoderunt: tot etiam obliquas, transuersasq;
 loueas fecere; vt serarum caueis diceres illas esse simillimas.

Præterea

Præterea pontem lignëum ex fossæ crepidine ad sùma Martelli propugnaculi multis iam excisa ruinis nõ secus, atq; in D. Erasmi proiecerunt; ac statuerunt in propinquismunitionibus sclopettarios, qui defensores a muris, munimentisq; depellerent. Quem nostri labefactare sæpe experti sunt: atq; irritò omni conatu F. Henricus Valletta M. Magistri nepos audens iuuenis, & excelsi animi cum paucis militibus porta egressus est ad colligandũ fune pontem, quẽ colligatũ inde alij ex propugnaculo attollerẽt: Sed dum breuior funis, & tardius e muro deijcitur, ab hoste qui clam fossæ successerat, globulo sclopettæ interficitur. Reliqui trahentes cadaver ingruentibus aduersariorũ armis intra-moenis se recipiunt. Quæ res nuntiata M. Magistro nihil illum comouisse visa est: sed omnes Melitenses equites respondit æque sibi charos esse, atq; Henricũ, eiusq; morte nihilo magis, quam aliorum interitu dolere; hoc vero certe lætari, quod pro sancta religione, vt militem Hierosolymitanũ decet, in bello fortiter occubuerit. Hunc eundem postea pontem vt deijcerent, cuniculum eo diduxerant, vbi antennarum capita propugnaculi muro adhærebant. Iamq; igne consumi ceperant, cum tormenti quodam globo turcæ cuniculum perfregere. Atq; inde nostri foramen in aduerso propugnaculi latere fecerunt, ac texere tam diu, ne conspectum prius ab hostibus feriretur, donec tormenti globo diluculo quodam in pontem emisso bona pars illius corrupta est. Sed illi potem refecere deinde maiore opera, & studio. Et quoniam minus armatorum erat in insula Senglæ, quam amplitudo loci postulabat (vix enim erant CCC milites, vbi duo millia vix satis fuissent) cõnexis inter se multis dolijs, impositisq; trabibus transuersas tabulas, atq; asseres infixerunt: quo ponte velocius portum ad insulam traicerent, ac præliantibus opem e vico ferrent. Turcæ, vt traiciẽtes perterrerẽt, in Bormora duo ingentia tormẽta firmarunt. quãquam altero S. Michaelis vallum percutiebatur.

Per hos dies Priores Messanæ, & Barlettæ, quibus præcipue datum erat negotium subsidia comparandi, quatuor M. Militum, & eas triremes, quibus veherentur, ob cõmune Siciliæ periculum, & sacri militaris ordinis in regē Philippum merita a Gartia postulauerant: sed facturum hoc se Gartia negauerat; ne si pugnandũ sibi foret, vires imminutas haberet; verum duabus Melitensibus triremibus tertiam adiecerat, & Pontificis milites, & volũtarios, quosq; stipendio conduxissent, in Melitam ferri permiserat. Et scripserat M. Magister post sexcentorũ illud subsidium sibi quidẽ aliquid roboris additum fuisse; nõ tamen quo multos dies turcarũ viribus possit resistere: mille adhuc viros desiderare, quibus se diutius tueri queat; donec clasıs vniuersa cogatur: sed omnibus terra vijs ad vicum interceptis ab hoste, vnã per ostium portus viam esse tentandã. Atq; equites Melitenses hortatus fuerat, & obtestatus, ne in tanto discrimine rebus suis dcessent. Quando igitur alia tum via, & opibus subuenire non dabatur, in Melitam cum tribus triremibus quãta vehi poterant subsidia missa fuere, Pompeius Columna cum delectis militibus, quos secum Roma deduxerat, Hierosolymitanorum satis bonus, & delectus numerus, qui ex omnibus partibus semper conueniebant, reliqui volũtarij, ac remiges in milites e vinculis adscripti, si portum intrassent; præmonito M. Magistro vt certis quibusdam signis, si tute portus subiretur, aut si quid esset in eo intrãdo periculi itidẽ significaret. Addita est quarta triremis, qua retro, quæcunq; euenissent, referrentur. Cui quidẽ rei se prius Io. Andreas Auria obtulerat; sed ne tãtus iuuenis tãto periculo obijceretur, rogatus est Andreas Provana præfectus triremium Ducis Sabaudiaë negotium capere. Triremes ad Melitæ oram sub occasũ solis bis, terue appulsæ sunt. Sed M. Magister, quoniam turcarum triremes in ipso portus ostio videbat obuersari, quod transuersis antennis interdum obsepserant, quas nonnũquam

vis tempestatis euerterat, quamuis aliud alij suaderent, ne rebus suis in angusto positus de aliorū ipse discrimine nimium sollicitus esset; tamen ne imprudentius vtriusq; consuleret, sublatis certis ignibus præclusum aditum significauit. Frustra igitur hæc est via tentata subsidijs. Et nõdum licet Christianorū clas̄is cogi, neq; exercitus colligi mature posset: siquidē F. Gilandrada cū octo triremibus Barcinonē missus fuerat ad totidē nouas instrumētis nauticis armandas, & nautis, ac remigibus implendas: & Hispana clas̄is ferendi com̄eatus, & præsidij gratia ad Pinnonem nauigauerat: nec dum reliquę triremes aut negligētia, aut inuidia principum instructę erant (quibus malis Christiana resp. in peius sæpe numero prolapsa est:) nihilominus Gartia quascunq; poterat onerarias naues colligebat, exornabat triremes, scaphas ad exponendū commodius in terram milites solito maiores faciebat, frumentum, arma, remiges, quęq; ad varium bellum pertinent, vndiq; comparabat: vt vel simulata industria, vel ipsa rerū festinatione hostiles conatus pauore cohiberet, spe obsessorum animos sustentaret. Qua propter multis in locis turcę exploratores statuerūt: & Caragialim diligens, audaxque pirata, qui rem istā præcipue curabat, vel ad Syracusarū vsq; portum adnauigauit. Quin ipse Pialim ad Australem oram Sicilię interdum clas̄is vela direxisse visus est. Quam oram Motucę comes diligentissime sēper tutatus fuit. Interim Lucialim Alexādrię primum præfectus, deinde Tripolis post obitū Dragutis eo cum quinq; triremium classe missus ad cōponendos Asrorū tumultus, post decem dies reuertitur. Atq; omni properātia turcę festinantes bellum conficere, ne quo repentino Christianę clas̄is aduentu vel opprimantur, vel disturbētur, Castellam, atq; insulam Senglę eodem tempore inuadunt; ac potissimum Melchionis stationem, & Martellij oppugnant: quę magnis patefactę ruinis aditum præbere videbantur. Contra nostri, quibus animos recens victoria se-

DE BELLO

cerat, & addebat præses vitæ periculum, eos e mœnibus, ac munitionibus repellût; captisq; multis signis CCC hostes occidût suorum cum iactura XXX. pugnatum est acerrime horas quinq; apud hostes integris a defatigatis prælium recipientibus. Nostri præter virtutem, reliqua importuna; militum paucitas, difficultas se muniendi, multarum rerum inopia, locus iaculationibus apertus: ac tormenta magis, quam hostium virtus aduersa. Nam illis ita vicus, & insula Senglæ exposita sunt, vt nunquam globi in cassum emitterentur: quin immo tectorû, & parietum ruinis permulti opprimebantur; vt galea, & thorace armatos incedere oporteret. Quoniã igitur loco dimoueri non poterât, quin se hostium iaculationibus exponerêt, atq; vt se loco nostri mouerent, hostes sæpe certamen aliquod simulabant; his turcarum aggeribus interdum vela obtenderunt, vnde illi tormentis maxime officiebant. Neq; vero solû tormētis, & armis, sed hic etiam cuniculis rē hostes experiri volunt. Murû insulæ frontis perfodiût, atq; ad summa latum cuniculum ducunt, inde in S. Michaelis turrim inflectunt. Nec difficile adeo fuit murum non calce satis duratum, sed structum mitibus saxis, & illitum luto perrûpere. Nostri licet pulsari mœnia, & terram exaudirent, cuniculi tamen locum diuinare non poterant. Sed miles quidam præsidio eius loci terram submoueri vidit, rem extemplo ad Mignatonem detulit hominem scientem belli. Melchionis signiferû, genere Mutinensem, inter hispanos tamen educatum: Mignatones locum fodiens in foramen quoddam incidit; in quod statim accensam tedæ, sulphuris, & picis ollam immisit, vt hostens inde, si qui laterêt, extruderet: post foueam collatans iniecta prius face cum F. Philippo Corneo, & F. Fiderico Sangeorgio, duobusq; alijs in eam insiliuit, & magnum, obliquumq; cuniculum sūma cum virtute obstruxit. Cuius ergo a M. Magistro ingenti torque donatus est. Cæterum hostes post longam tormentorum oppugnationem

pugnationem, ne quid otij obsessis detur, cum mediis est dici, & solis ardore cuncta pene torrētur, valido impetu certamen incunt breue quidem illud, sed atrox, & crudele. Quod cum CCC hostium, nostrorum XV pernicie fatum fuit. Atq; hoc die Melchionis locum maiore, quam ante, vi patierunt. Et frequenter nostri foras cum ex alijs locis, tum ex Castella egrediebantur partim ad expugnandam fossam, restituendumq; vsu cęcę domus (quanquam instantibus aduersarijs ab hoc tādē conatu desistendum fuit) partim ad rem hostium explorandas. Nocte vero quadam (erat autem ea, quę diem II. Non. Augusti sequuta est) LXX circiter exploratores egressi in maiorem hostium numerum inciderūt; ac ferro dimicare necesse fuit. Sed cęsis ductoribus F. Ioanne Vassche hispano, & F. Ioanne Corniliano Gallo, quorum uterq; mediam partem militum eduxerat, reliqui retro ad munimenta perfugerunt præter paucos gręcos, qui fortiter impetum sustinere aduersariorū. Nihilominus longe plures illorum cęsi sunt; nostrorū septem necati. quorum capita pilis infixis more barbaro ex animo ad crudelitatem præcipite in ipsis aggribus spectaculo turcæ crexerūt. Semper autem quibusdam notis inter se signis indicabantur oppidi præsidijs, quęcunq; eueniebant. Nam ita obfessa, & interclusa erant omnia, vt, qui literas ad eos deserret, vix vnus præ metu apertius inueniretur. Nā per hostium castra, & munitiones transire, atq; interdum nando portum trāsmittere oportebat. Captiq; iam cum literis ab hoste duo fuerāt: quarū tamen sensum Bassę intelligere minime potuerūt, quę enigmatice scriptę erant; licet magna præmia ei proponerent, qui illas explicasset. Præterea de Baiata homine Melitensi, qui sæpe nuntius per turcarum custodias missus fuerat, rumor, quo captus a turcis, & excoriatus ferebatur, quamuis falsus, tamen alios ab his officijs ita perterruit, vt nulla merces, & dona quęquam pericere potuerint. Verumtamen a fugitiuis

DE BELLO

multa de hostium consilijs, factisq; cognoscebatur. Re-
 ferente autem fugituo quodam hispano decem circiter
 turcas cum cētum fere captiuis Christianis singulis diebus
 oriente sole aquatum venire ad puteos inter Marzam,
 & pagum Alcomem, quo pene hostium tentoria pertin-
 gebant, opinantes aliquam bene gerendæ rei occasionem
 offerri LXX equites in conualle quadam non longius a
 puteis D. pass. tertia vigilia occultant. Vbi lux oriri cæ-
 pit duos equites turcas aduersum se ferri vidēt, detectasq;
 insidias suspicati, neq; rem in aliud tempus differre volē-
 tes equos agunt in hostes, incitatoq; cursu, insensiq; ha-
 sillis primos trāsfigunt (erant autē circa puteos ferme octo,
 nec dum aquatum alij venerant) mox incutiendi pauoris
 gratia in prima castra percurrunt, in vnum deinde cōglo-
 bati retro vertūt eadem celeritate ad oppidum iter: vix-
 que se retro conuerterant, cum eos M. D. hostiū glome-
 ratum agmen ingenti cum tumultu prosequitur. Nostri
 quamprimum collem occupant non adeo distantē ab op-
 pido; vnde ad se venire auxilia recularunt. Neq; enim
 hostes propius accessuros arbitrabantur, nec prælium fa-
 cere animus erat. Sed cētum hostes propius facti post ma-
 ceries sclopettis laceflunt, atq; ad certamen trahūt. No-
 stri verecundia permoti pugna suscipiunt: conserto certa-
 mine reliqui hostes adsunt insensī, tentant, cœdūt. Quo
 prælio, & periculo tormentorū globis oppidani suos pro-
 texerunt nostrorū vulneratis quinq; , & desiderato F. A-
 lerano Parpagliño strenuo equite. Turcis hac pugna præ-
 ter alios ductor occidit. Ob hæc in dies nostri equitatu
 maiores spiritus fumentes in turcarum castra cum delectis
 equitibus irruere statuerunt, quo tempore aut insulæ Sē-
 glæ, aut vici oppugnationem inissent, vt eos a pugna di-
 straherēt. Idcirco in pago, cui nomen est Zebugi, equi-
 tes sæpe disposuerunt post maceries: vnde occulta quædā
 via est ad castra non longior teli coniectu. Post viam F.
 Vincentius Anastasius cum CCC sclopettarijs stabat vt si

hostes reuertētes equites insequerētur, ipse a tergo, aut a lateribus eos adoriretur. Cūq; hoc sepius tētassent, neq; res vnquam procesisset, postremo VII Id. Augusti ante lucem turcæ insulem Senglæ, & Castellam totis viribus aggrediuntur: tormentorum, sclopettarum, armorumq; ingentem strepitum equites exaudiunt; opinantesq; certamen initum esse, & turcas pugnæ studio astrictos, quam maximo possunt impetu in castra improviso irrumpunt, custodias proterūt, obuios transfigūt, fugientes insequūtur, magnamq; stragem pauentium hostiū, & fugam faciunt, atq; eo vsq; procurrunt, vt pugnantium oculos, & animos in se conuertant. Ergo turcæ hostilem equitatum longius euchi, & in suis castris insolētius peruagari conspicientes laxauere certamen, atq; cuestigio multa secum animo ob tantam equitum repentinam audaciā suspectantes ad castra contendunt. Nostri ad oppidū reuertuntur nemine insequente. Qui in vico, & insula Sēglæ sunt ducentes aduecta sibi esse subsidia foras in hostes crupendū esse conclamarunt: atq; effudissent se se portis, ni M. Magistri imperio cohibiti fuissēt. Ita leui momento animus in spem, metūq; impellitur. Hac pugna (ne eos memorem qui incurso equitum cecidere) D. hostes occisi numerantur, nostrorum XI. At vero multis prælijs nostrorum numerus diminuebatur; nec ad omnia tuenda sufficiebant in plures partes distenti. Quāobrem ad sollicitāda subsidia F. Coronellus ex oppido missus fuit: & M. Magister ad suos Messanā scripsit; vt, quādo Gærtia nihil suarū virium vult diminuere, scriusq; clasīs vniuersa contrahitur, quam sperare in tempore opem possit, ipsi cum duabus triremibus, quas habebant, in Melitam veniendi viam omnem, modumq; tentarent. amissa totius rei sūma nihil reliqui se velle fieri: neq; illis in tāto rerum discrimine laborem vllum, & periculum esse recufandū. Atq; omnibus de rebus certior factus Gærtia obsessos spe bona pascebat. Semel Altamiræ comitē misit cū

DE BELLO

quinq; triremibus ad intercipiendū oneraria quædam nau-
 uigia, quæ turcis commeatum ferre dicebantur ex Græ-
 cia: (ferebatur autem illis ex suis sociorumq; locis omnis
 generis cōmeatus) qui in vnam modo cymbam actuariam
 venientem e Tripoli incidit. Mox Gartia quo res turca-
 rum melius exploratas haberet, præter alia, quæ sæpius in
 hanc rem excogitauerat, nummum aureum in duas par-
 tes scindēs alteram cum literis ad F. Mosquitā misit; qui-
 bus scribebat, vt eum, qui alteram partem detulisset ex-
 templo in Siciliam allegaret. quam alterā partem homi-
 ni græco turcicæ linguæ, & morum perito dedit; qui sine
 suspitione inter hostes versaretur, & aduersariorum rebus
 omnibus exploratis ad oppidi præfectum eam comporta-
 ret. Sed cum tribus ille Melitensibus viris cymbula e Si-
 cilia proficiscens ab hostili classe prope Melitā captus est:
 vnus nando euasit. Inter eos autem, qui e turcis ad nô-
 stros perfugiebant, quidam, qui e Christiana Ecclesia ad
 Mahometana facta recesserat, ad oppidum venit specie
 transfugæ. Cum vero cepisset de commeatu, de numero
 militum, de propugnaculis, & munimentis curiosus dis-
 serere, in suspitionem incidit simulatæ fugæ. Ideoq; in
 vincula cōiectus in cuiusdam Melitensis viri nobilis do-
 mo cū reliquis seruis, & captiuis asseruabatur. Huic ser-
 uus quidam erat fidus, & charus, & libertini loco quem
 scelestus ille cum literis ad Mustaphā subdole amandauit,
 exarans oppidum sine vllō negotio captum iri neq; viris,
 neq; opere munitū, ac rerum, quæ bello vsui sunt admo-
 dum egens. Verum habita de serui fuga quæstione, reli-
 qui crimen detexerunt: expressaq; culpæ confessione reus
 ad extremum supplicium traditus est. Cum igitur hostes
 male munitum oppidum intelligerent, atq; ægre ferrent
 equitatum impune per totam insulam incurfare, & quæ
 per eum detrimenta sibi importata sint, agnoscerēt, dux
 ipse, præfectusq; classis cum LX rostratis nauibus, quibus
 tria millia militum portabantur, ad nigram petram post
vesperam

vesperam proficiscitur insidias equitibus facturus, simul etiam periclitaturus, si qua forte oppidum ex improviso aggrediatur. Id tēporis Salazarus a Gartia missus ad oppidum venerat, ut de omnibus rebus nostrorum, & hostium quam diligentissime exploraret, difficultates, & opportunitates circumspiceret, quas illi custodias disposuissent, quem vigiliarum ordinem seruarent, ut posita castra, ut fixa tentoria, quo pacto excitati aggeres, locata tormenta, quæ valla, quæ ubiq; factæ monitiones, quis in oppido, & quantus com meatus, quæ, quotq; tormenta, quæ reliquæ res bello necessariae, quis virorum, mulierum, iumentorum, ac pecorum numerus esset. Etenim Gartia cum se classe inferiorem videret, id subsidij ferre agitabat, quod ad dimouendam obsidionē satis foret. Quam rem licet facilem ex oppido scriberēt; tamen arduam videbat ex depicta castrorum, aggerum, & munimentorum imagine; quam a M. Magistro acceperat. In qua tabula perpetuæ munitiones, & omnia loca circum munita, & cōtinuata vallis, & operibus militaribus cernebantur. Quare ad omnia diligenter speculandum Salazarū misit. Qui cū hora noctis quarta ad id negocij cū LX. equitibus egredi ex oppido statuisset, nuntiatur LX. triremes ad nigram petram appulas esse, & magnam turcarum multitudinem in terrā descendisse. Nec metu aliquo ab incepto desistunt: sed portis maiore præsidio firmatis ad hostium castra proficiscuntur. Vbi ad pagum Terxer ventum est VIII. stadijs procul a castris in depressa quadam valle reliqui subsistere iussi sunt; ne multitudo strepitum faceret: septem modo longius paulo progressi castrorum situm; & formam contemplantur. atq; itidem hoc loco quinque opperiri iussis, Salazarus cum F. Vincentio Anastagio (iamq; appetebat aurora) eousq; processerunt, ut intra S. Margaritæ, & Mandriam præteruecti, hostium stationes, & tormentorum aggeres post terga reliquerint: vnde post maceriem a nullo vnquam cōspectū

DE BELLO

omnia ipsi circumspexerint, vicum, insulam Sengle, hostium munitiones, & valla, mirati vehemeter omnia apud hostes militaribus custodijs vacua, soluta, & neglecta, vti barbarorum, & nihil ab aduersario timentium. Cum autem sol exoriri cepit ad Terxer reuertitur. Hic qui relictis fuerat duos turcas e stationibus digressos ceperant: a quibus intellexerant Pialim Bassam cum LX triremium classe ad exponendos in terram milites, insidendaq; omnia itinera, quibus equitatus in oppidum recipere se post excursionem solet, ad nigram petram nauigasse. Quo circa iter ad oppidum accelerant, priusquam omnes viae ab hostibus intercipiatur. Sed cum his interdum dimicare coguntur, in quos rerum suarum causa e castris post ortum solis egressos sorte fortuna incidit: tum etiam ad Pagum Alchebir a turcis aliquot arcu, sclopettisq; lacesuntur: & ne cursus tardetur, ocius per planam viam abeunt. Et iam duo M. pass. absunt ab oppido, cum repente ex omnibus partibus a fronte, a tergo, a latere DCCC. ferme turcae prouolant; equites in collem subito euadunt. Hic dum inter se differunt, quid rei gerendum sit, aut quae via ad oppidum capienda, ex improviso sublati signis, atq; clamoribus ingens turcarum agmen cooritur; quod humi stratum in insidijs iacebat. Tum illico XXV. equites impetu facto in oppidum confugiunt, quatuor amissis: reliqui, vt in repentina re non idem sequuti consilium in duas partes diuisi, pro vt animus dabat, alij alio se fugae praecipites mandarunt in rupes V. M. pass. ab oppido. vbi relictis equis, ipsi miliare circiter unum progressi sunt. Quo in loco in noctem usq; latitarunt; primisq; tenebris ad suos in oppidum redierunt. Prima vero luce missi qui iumenta adduceret, partem unam solum inueniunt. Hoc die nostrorum capti, caesiq; XXXII fuerunt. Inter quos Melitensem quendam equitem memorat; quem turca paulo ante captus ad Terxer ruptis vinculis ita post tergum arte complexus fuerat; vt nec equum regere, nec

se expedire posset. Sed F. Vincētius interueniēs transfor-
sum hostem in terram deiecit. Neq; hoc contontus Me-
litenfis, iræ mala quadam præ dulcedine nimium indul-
gens; in tanto periculo equo desiliit; vt turcæ caput præ-
cideret: verum tres hostes incidentes, eandē ab eo pœnam
petierunt. Quantū vero laboris, & diligentix turcæ no-
ctesq; & dies ponerēt agēdis cuniculis, muris, munimē-
tisq; subruēdis, nec dici satis, nec cogitari potest. Præter
cœtera in ipsis mœnibus caueas per multas effecerāt: in qui-
bus singulis duodecim, aut plures homines delitescēbāt:
vnde clam prodeuntes in aduersarios lapides, facesq; intē-
debant, statimq; se se occultabant. Nostri opera milita-
ria substruere, & munimēta alia post alia facere. Noctē
autem, quæ IIII diem Augusti subsequuta est, duo mili-
tes F. Augustini Ricciæ egressi ad speculandum hostium
opera, ingentem in muro caueam inspexerunt; qua ad S.
Michaelis vallum ibatur. Quod Melchio Robles intelli-
gens F. Ioannem Funcum locum oculis notare iussit. Hunc extrā
munitionem caput attollentem hostes vt vi-
derunt, quāquam incerta luce, in eum direxere sclopeto-
ras: sed retrahente se F. Ioanne. Melchio eundem locum
subit, & ab intento, instructoq; hoste appetitus globulo
sclopettē examinatus est. Cuius mors ob viri dignitatem,
& studium omnibus grauis fuit. Post quem valetudine
etiam implicito F. Petro de Monte, Senglæ insulæ custo-
dia Marisciali demandatur. Et Salazarus vbi omnia loca
percommode explorauit. custodiarum diligentiam animadu-
uertit, & ex captiuis perconstationem fecit, relicto comi-
te Petro Paetz, qui ad Gartiam scriberet, si quid interim
nouī eueniret, ipse paruo nauigio Siciliam petit incolu-
mis; ac Gartix cuncta ordine enarrat. Atq; hac ipsa no-
cte, quæ decima quarta fuit Augusti, prima vigilia vallū
S. Michaelis sclopettis, ignibusq; adorti hostes a nostris
fortiter expulsi fuerunt. Adeoq; frequentes pugnx scree-
bantur, vt iam eas lenes vsus effecisset. Pugnabat, et aut

pillis, telis, sclopettis, plurimumq; muscibus saxis: quibus
 incidendis, atq; ad iaciendum manibus adaptandis multi
 occupabantur: vt non minor facta ex nostrorum opera,
 quam ex hostium oppugnatione ruina domorū edita sit,
 Præterea in sacculis ignem ex tormentario puluere cōcep-
 tum fabricabantur: quos hinc inde mittebant, remitte-
 bantq;. Ad hæc circulos ligneos stuppa circumligabant,
 linebantq; sulphure, tæda, pice, atq; his rebus, quibus
 ignis excitari solet; accensosq; in hostes nostri iniiciebāt:
 quos contra illi hastis in extremo vncinatis ferris exceptos
 reiciebant. Euenitq; interdum, vt circuli vtrinq; hastis
 intercepti, atq; hinc inde renitētibus aduersarijs distracti,
 tum remissa contentione risu ab vtraq; parte excitato su-
 per ipsa munimēta cōciderint. Quem vero cōtingebant
 vel vestibus, vel armis nudabāt: ad quos medios amplecte-
 bantur, his spiritum flammis exhauriebant. Semper au-
 tem vniuersa Christianorum Ecclesia rebus diuinis faciē-
 dis, & supplicationibus, & votis pro Melitæ liberatione
 vacabat: & quibusdā pijs mentibus cœleste numen visum
 est annuere, quod precabantur. Nam (vt ferunt) F. ille
 Capucinus, quem supra memini, diuinis precibus insistēs,
 & extra omnem sensum positus, visus sibi est videre Iesū
 Christum medium inter genitricem suam semper virginē
 Mariam, & B. Ioannem Baptistam locatum, atq; ab eo
 hæc verba audire. Se matris suæ, & B. Ioānis, ac reliquo-
 rum sanctorum spirituum, & piorum hominum precibus
 commotum in Melitenium equitum salutem oculos cle-
 mentix intēdisse: quos alioquin ob prauos mores, & ne-
 gligentius cultam religionē castigatos vellet. Tum man-
 dari sibi M. Magistrum cōuenire, eumq; bono animo esse
 iubere, monereq;, vt post hac equites Melitenses ad san-
 ctitatem morum, pristinamq; virtutem ex omni turpidi-
 ne vitam reuocent, caueantq; studiose, ne quid peius de-
 inceps sibi ex corruptis moribus, sceleribusue contingat.
 Ille quæ vidit M. Magistro exposuit. Qui exinde non
 humanis

humanis subsidijs, quæ nimis quidē ei fera fuisset visa sūt; sed opi diuinæ omnem victoriam acceptam retulit. Ipse quoq; a nonnullis audiui, turcas pugnando interdum feminæ cuiusdam aspectu vestimentis albis indutæ, interdū sylvestris cuiusdam, & pellibus induti hominis, sed diuini specie, interdum etiam candente quadam columba, quasi diuino quodam numine perterritos fuisse. Interea coacta est Christianorum clas̄is, & militum cōtractæ copiar̄. Naues onerariæ LX. Triremes hispanæ, quibus præerat Aluarus Bazanus IX. præter eas, quas ex Hispania Gartia deduxerat fere XXX. Ioannis Androæ Auricæ triremes XII. Reip. Ligurum II. duce Iacobo Camilla. Ducis Sabaudicæ III, quas ducebat Andreas Prouana. Ducis Florenticæ IX, quibus præfectus erat Iacobus Appianus. Neapolis XII. quarū dux Sancius Leua. Siculæ X. triarcho Ioanne Cardona. Melitenses II. itidem F. Gabrij Sorbelloni II. Exercitus vero compositus ex presidij primū regni Neapolis, quorum tribunus Aluarus Sandeus: deinde Transpadanæ prouinciæ, quorum dux Sancius Londogna; postremo Sardinicæ, cum subsidijs recenter ex Hispania misis præfecto Gonzale Bragamonte. Atq; hæc quidem omnes hispanæ cohortes hominum milium VII. præter aliquot alias centurias præsidio Siciliæ adscriptas, quibus Iulianus Romerus post Roblem imperabat. Italorum tria millia ex Hetruria a Chiappino, & Vincetio Vitellij ductata. Ex Umbria collectæ copię ferius Messanā aduenere. DCC. milites iam ante cum Pōpeo Columna Pontifex miserat. Ad hæc equites Rhodij CC. Præterea magnus voluntariorū numerus omniū nationū, sumeq; fortunæ, ac familiæ: vt tota Christianorū nobilitas ad hoc bellū cōuenisse videretur. Ascanius quoq; Corneus qui Romę in mole Adriani detinebatur a Pōtifice, Imperatoris Masimiliani, ac Philippi regis, & summoꝝ principū rogatu ob insignē virtutē, artēq; militarē ad hoc sanctum, & religiosum bellū, in quo sūma rerum Chri-

DE BELLO

stianarū verti videbatur, emissus est. Paratis igitur omnibus rebus, quas belli vsus exposcit Gartia primariorum virorum consilium habet: ac Melitensium rerum primū ipse statū exponit. Melitā ita in angusto esse, & exhaustam viris, & propugnaculis quassatā; vt ni propere subueniatur, breui in hostium potestate futura sit. Sibi a principio semper animum fuisse decertādi prælio nauali, postquam essent inimicorū opes attenuatæ: Nunc illos minus hominum opinione debilitatos: Semper LXXX. triremium classē instructam habere, ad omniemq; motum plures armare posse: sibi vero minorem, quam putabat, coactam. Nam Melitēses triremes, quæ omnium optimæ sunt, desiderat; & nouas Neapolis nōdum exornatas esse conqueritur. Sin tamen nauibus rem gerendā existimant, quas contraxerit, enumerat & naues, & militum copias, præter eas, quas ex Sicilia colligeret, hominum sex millia. Sin alia via dimouendam obsidionē censerent, ne summæ rerum periculum fiat, quo Rex Philippus inclinare videtur, libere sententiam dicant. Hic varix sunt agitata sententiæ. Nam alij rem Melitensiu desperatam habere, ac nullā rem arbitrari in discrimen vllū adduci debere: præsertim cum ex literis multorum intelligatur non retinendam ab hoste præsidij Melitam, sed propugnaculis, & mœnibus ex Solimanni mādato funditus euertendam. Cuius rei vel magnum illud argumentū afferunt: quod quassatam D. Erasmi arcem minime rescissent; sed tantum modico præsidio ad obsidēdum ostiū portus firmassent. Quod si insulam præsidij retinere voluerint, opinari se illā facilius recuperari tum posse, quā nunc obsidione liberari. quoniam ægre illam tueri poterunt. Contra alij videtur, omnibus nauibus, & copijs aduersus hostem eūdum numero quidem nauū priorem, sed militū inferiorem, prælijs, æstu, laboribus, morbisq; consumptum. Verum Ascanij Cornei fuisse dicitur hæc oratio. Quamquam naualis disciplinæ ignarum me esse

pro fiteor; rogatus tamen sententiam dicere, non grauate respódebo. Nam omnes in hoc vnum intuemur, vt tot clarissimorum virorum, qui a barbarissimo hoste in Melita obsidentur, saluti, & dignitati, quantum in nobis est, consulamus, & Christianam religionem pro nostra virili parte seruemus. Primum igitur aio non tam graue esse, quam ignominiosum, Melitam propinquã Siciliæ a turcis capi nihil nobis contra annitentibus, sed internecionem sociorum spectantibus armatis. Animusq; est deinde captam illam ex hostium manibus recipere? Spectatores ne esse malumus sociorum calamitatis, quam auxiliatores? Et facilius ne ducitis inde turcas expelli, cū omnia occuparint, quam id temporis, cum a nostris cuncta loca tenentur? Minorisue negocij de integro tecta, & propugnacula ædificare, quam labefactata reficere? Aut iterum ne ædificari turca æquo animo ea feret, ad quæ diruenda tantam classem, & exercitum cōparauit? Aio igitur omni via; modoq; illis esse subueniendū. Sed de modo potius videtur suscepta cōsultatio: vt ne vllum in discrimen summam rerum conijciamus. Primum quia classe inferiores sumus, naualibusq; prælijs minus exercitati, nullo pacto nobis classe decertandum esse reor; sed eas copias in terram exponendas, quæ obsessos periculo liberent. Delectum autem militum fieri oportere puto: numerū vero delectorum non minorem, quam IX. millium. Vnius quoq; mensis parandum commeatum. Neq; vlla mancipia volumus, neq; lixas, sed qui arma secum, & victum portet absq; vllis impedimentis strenuum militem. Hoc interim spatio Deus ipse prouiderit. Nec dubium, quin si exponamur, victoria penes nos statim futura sit. Sed de exponendo in terram milite maior oritur disputatio: quod orę maritimæ ab hoste vigilijs teneantur. Nec sane res alia mihi dubitationem affert. Quæ (si demum omnia recte contemplemur) non satis ardua apparet. Clasis quæ milites portet, diligentius exornanda est, & pluribus

remigibus armanda : vt si nos a litore hostis prohibeat , ex celeriore cursu ad Siciliam perfugiũ habeamus . Neq; tot naues longæ sunt turcarum , vt omnia litora tueãtur : neq; etiam illi plures armauerint , priusquam nos ipsos receperimus . Momento scaphis exponimur : atq; oppidani crebris ignibus tutum ad exponendum militem , & locũ , & tempus significabunt . Tempus nauigationis , & oram , in quam miles exponatur , agnoscat is melius , qui nauticam artem exercet . Hæc itaq; sentio & subueniendum , & audendũ esse . Nam in rebus arduis audere oportet : vt si fortuna aduersetur , virtutem , quæ sola est nostra saltẽ ostentasse videamur , non desidiam , & pauorem . Hæc a quibusdam quoq; alijs pronũtiata , atq; ab omnibus tandem probata sententia est : vifaq; superabilis difficultas exercitus exponẽdi . Quãobrem miles , classis , cõmeatus , & quæ sunt in rem opus , instituuntur . Atq; ad equites Rhodios Gartia rescribit , vt se Syracusis expectet : qui cum duabus triremibus (vt dictũ est ante) vocati a M. Magistro in Melitã ire tentauerant , superauerantq; Pachynti ; sed cognoscentes Orlandum rei nauticę magistrum , qui cum cymba præcesserat , ab hostibus captũ fuisse , captos etiam nocte quosdam siculos agrestes homines in ipsa hora litorali , quorum per conctatione in aduersariorum cognitionem venire poterant , ac intelligetẽs a speculatoribus tres lãgas naues hostiles paucis ante horis e terra altum petiisse , veriti ne se temere in apertum discrimen iniicerent . Syracusas reuersi fuerant , atq; inde rem omnem ad Gartiam scripserant . Iam vero Sol Cœlestem Leonisdomum egressus caniculæ calores suo recessu tẽperare ; anniq; permutatio ex longo æstu timeri . XIII. autem Kal. Septembris Gartia satis omnibus rebus ad profectiõnem apparatus , nec re iam vllam vltra perferente cõtationẽ Messana soluit , ac tertio die cum LX. fere triremium classe Syracusas venit : quo ante naues omnes onerarias præmiserat . Interea turcæ cuiusdam perfugæ verbis inducti ad iteran-

dam pugnam, continuandumq; tribus diebus certamen, quod Christiani præliorum frequentia contusi, ac omnibus malis defessi, attritiq; longam oppugnationem ferre non possent, cum in diem XV. Kal. Septembris leuibus quibusdam certaminibus cominus, eminufq; rem gessissent, tunc omnibus copijs insulam Senglæ, & Castellam aggrediuntur, omnemq; vim roborum, & aniuorum intendentes omnibus locis instant, tentantq; acriter omnia. Hos victoriæ spes erigit, hos periculû, & ardor certaminis accendit: & quisq; ratus in omni temporis momento positam esse victoriam labores pugnæ forti, & intento animo sustinet, ac nihil incauti, nihil lâgudi apud se patitur. Itaq; illis maiore vi semper annitentibus, his se, ne introrumpant, opponentibus, neq; illis pedem referentibus, neq; his locum deserētibus absumitur dimicâdo dies, & in aliquam partem noctis certamen extêditur. Media vero nocte ad tentâdum fessorum hostium excubias Melchionis stationem duo turcæ sensim adoriuntur: Nec fefellerunt excubitores; conclamatumq; est ad arma. Et ne quod spatium obsessis relinquatur ad recreâdum animos, & muniendum loca sclopettis, & ignibus aliam pugnam ineunt, atq; his iaculationibus noctem transigunt. Luce prima ampliores cohortes educunt, ac corona mœnia circumueniunt, adhortationibusq; inter se animati, incitatiq; eadem loca inuadunt, ac victores se statim fore arbitrantes, si paulo acrius annitantur; vim semper adhibent, impetumq; maiorem. Nostri nihilum animo, viribusq; deficiunt; fortius, acriusq; resistunt. Res in medium vsq; diei perducitur omnibus æstu, & laboribus defatigatis. Postridie ne quid respirare ad huc nostros patiantur, certamen ijsdem armis resumunt: pugnaturq; vtrinq; ijslem animis, eademq; virtute, & euentu. Quæ certamina nostrorum vulnerarunt, occideruntq; vix CC. turcarum satis magna cædes memoratur. Quod tandem igitur non vicissent, sed fuissent magno cum detrimento

DE BELLO

repulsi tãquam victos se habere : quidam memoria cædis, & vulnerum ferociam impetumq; remittere, quidam timore & malorũ tædio militiæ munera abnuere, quidã viminis, verberibus cogi. Nostri ex muris hostium conatibus illudere, obiectare ignauia, ad prælium iterũ atq; iterũ inuitare, vocare nutu, & vocibus ad introeundum : contra illi contumeliam addentes verbis extra munimenta in campum, arenamq; nostros prouocare. Quin iam etiam ad stationẽ Martellij tanta inita erat inter nostros, & turcas consuetudo, vt vicissim hinc inde benigne se se compellarent, ac dona vtro, citroq; darent, & acciperẽt : illiq; ad deditionem nostros hortarẽtur obiectantes omniũ rerum inopiam, & monerent malle pactis, & conditionibus sibi consulere, quam sãuitiam victoris hostis experiri; nostri vero profectioem illis suadent, ni opprimi vellẽt, sibi nullius rei cõmeatum deesse, nullamq; rem amplius metuere. Quam consuetudinem Marisciales dissoluit. Suspecta quippe semper inimicorum onnis debet esse benignitas, nihilq; certi haberi, a quo quicquã hostile metuntur. Interim Gartia literas ab rege Philippo accipit, quarũ gratia Syracusis immorabatur : quibus iubetur vnũ aliquem, aut plures imperatores exercitui, qui in Melitã portandus est, præficere; quorum communi consilio, & autoritate bellum administretur, donec M. Magistro se coniungant, ad quem vnum imperium reducatur : ipse e Sicilia rem curet. Et quamuis bella a pluribus administrata (vt sepe rerum magister vsus edocuit) infeliciter cesserint (Nihil enim ita subitis eget cõsilijs, & celeritate, vt bellum ob repentinos, & incertos casus, ac communem martem, ancipitemq; fortunam. ceterum plurium sãtentia moras innectunt, & multorum æmulatio interdum bene gerendæ rei consilium aut tegit, aut turbat) tamen Gartia, quoniam verebatur, ne maioribus rem contẽtionibus, aut odijs implicaret (e quibus omnia rerum ciuiliũ iucommoda oriri solent) si vnum aliquem præfecis-

set. ex tot ducibus, quorum nemo (vt est hominis suapte natura superbum, arrogansq; ingeniū) non se parem alijs virtute putaret, Aluarum Sandeum clarum inter hispanos ducem, atq; Ascanium Coracum castrorum magistrum, praesidorumq; Transpadanae prouinciae, ac Sardiniae praefectos, tum Itolorū ductorem (rogabatur autem Chiappinus Vitellius ob egregiam viri dignitatem, atq; virtutem ductor esse: verum ille priuati magis, quam ducis personam hoc bello gessisse vilus est) exercitui praeposuit: quorum communi consilio, & auctoritate res gereretur. Veruntamen nomina darentur, quae ipse praescripserat, suoq; nomine edicta fierent: donec se M. Magistro iunxissent: ad quem vnum cuncti imperij summā deferrent. F. quoque Didacus Gusmanus dux equitum Rhodiorum honoris gratia cōsuli debebat. His ita decretis magis ad hominum rationem, quam rerum, sacrisq; summa cum religione confectis, expiantibus quibusq; sua, vt Christianos decet, peccata sanctissimis ecclesiae sacramentis confessione, & eucharistia, cū duos ante dies Auriam praemisisset ad exponendū hominē in Gaulo, qui praesertū insulae doceret aduentū Christianae classis, & ignes faceret, cū Melitae orā videret ab hoste vacuā esse, ipse in Linosa moraretur (quae insula in lybico mari nō longe abest a Melita, veteribus opinor Athusa appellata) prima vigilia Syracusis Gartia proficiscitur. Appetente die vna e tribus magnis onerarijs nauibus, quae cum frumēto ad meningem, & Tripolim a Mustapha missae fuerant ad molēda, & coquenda cibaria, noctu longius Melitam praeteruecta ad Pachynum capitur ab Andrea prouana; qui primum nostrae classis agmen agebat. Captiq; vna sunt LXX. turcae adscripti praesidio nauis: siquidem nauis erat Dalmatarū. Et quamuis interim turcae praelio abstinerent, nunquam tamen ab operibus militaribus, & munimentorum oppugnatione cessabant. Munitiones alias, atq; alias faciunt, vnde hostem propius petat, cuniculos agunt, foueas effo-

DE BELLO

diunt, & fodiendo iam Ricciae munimentum ita subruerant, ut per patentem adeo munimenti ruinam facile introrumperet, vna dumtaxat tabula interiecta. (equidem inter hostes, & nostros XII. pedum latitudinis munimentum plerisque in locis interiacebat.) Quae ruina ob frequentem coniectionem globorum interdum refici non potuit: exitus diei expectabatur. Ad vesperam turcae redintegratis viribus, & animis, & in quandam victoriae spem allecti hunc locum ferro, & igne acrius, quam vllum antea intadunt. Sed tanta vis aquae e caelo immittitur, ut tormentorum, sclopettarum, omnisque vsus ignis inutilem faciat. Hastis, telis, mucronibus pugnandum cominusest. Nostri a tormentis, sclopettisque tuti supra muros, & munimenta se se attollero, tela intedere, saxa conijcere, insolentius, atque audacius premere, arma armis, corporibus corpora opponere, consertimque huc omnes ruere, ubi in maiori periculo magis probari operam suam, & enitere virtutem posse sub oculis omnium cognoscunt. Tandem hostes praecisa introrumpendi spe vim obsistentium diutius sustinere non possunt, multisque suorum amisissis sensim se pugnae subducunt. Nostri maiore cum solertia munimentum reficiunt. Eodem quoque tempore pugnatu pariter est ad Castellam (ubi leuiorem interdum pugnam hostes ad distinguendas nostrorum copias faciebant) pariterque res eundem euentum habuit. Et grauius certe turcis erat ab hoste vinci iam prope expugnato, quam (opinor) si vicissent, laetum. Itaque vires illis in dies, animusque senescunt. Ac metuentes sibi magis a Christiana classe, instructis pluribus rostratis nauibus aliquot dies frequentius insulam circumire, atque oras maritimas diligentius obseruare. Garta e Puzallo soluit, quo primum Syracusis nauigarat: nauigantemque illum aduersa adeo ex Austro, & Luronoto excitata tempestas consequuta est, ut classem disiecerit, neque vnum omnes primo cursum tenere poterint. Correcto tandem cursu ad Fauagnanam (quam
insulam

insulam a quibusdam Sacram, a quibusdam AEgusam di-
 ci video) incolumes ad vnam omnes perueniunt, paucis
 modo scaphis deperditis, quæ puppibus alligatæ trahebantur.
 Ad quam Rhodij equites cum duabus trirēibus,
 quæ primæ ex turbulenta nauigatione aduenerant, e dua-
 bus, quæ hic latitabant, vnam piraticam biremem depre-
 hendunt. altera cursu effugit. Auria vero, vt Martinera
 hominem, quem supra memorauimus, in Gaulo exposuit,
 qui rem omnem præfecto exponeret, aquandi causa Lo-
 padusam petit insulam propinquam AEthusæ. Quod pi-
 ratæ quidam animaduertentes, qui id loci vel e tempesta-
 te, vel consilio aliquo se receperant, actuaria nauigia (ha-
 bebant autem duo biremibus breuiora) eo subduxere, quo
 trirēis applicari non posset; ac paucis hominibus relictis
 in nauibus, reliquos in terra collocarunt: illi accessum ad
 naues, hi descensum in terram prohiberent. At Auria cu-
 pidus aliquid cognoscendi, & agendi, ne quid turcæ re-
 nuntiaretur, quando scapham non habet, parua quadam
 nauicula alios post alios exponi, primosq; post rupē quandā
 cōtinere se, atq; alios expectare pronuntiat. Serapia tamen
 signifer hispanus vel impatiens moræ, vel inuidens alterius
 gloriæ temere nimis cum paucis hostes inuadit. qui pu-
 gnam fortius suscipientes nostrorum alios capiunt, alios
 cædunt, alios fugientes ad vndas persequuntur: primusq;
 Serapia interficitur. Vnde Auria vel leuiter ipse quoq;
 prope genam ictus sagitta, duobus in Linosa hominibus
 cum literis relictis, quibus venturo Gartiæ quæcunq; eue-
 nerant ordine exarabat, hinc Leocatam Siciliæ oppidum
 abiit. Præfectus igitur Gauli tres ignes edit e specula; qui-
 bus aduentum auxiliorum oppidanis significat. Oppidani
 M. Magistro idem notis inter se signis ostendunt. Atq;
 altero die literæ in oppidum ex Gaulo afferuntur, quibus
 omnia declarantur. M. vero Magister, quo fidelius omnia
 percipiat, hominem ad oppidum mittit. qui it, reditq;
 incolumis. Hoc interim turcæ mobilem turrim ad Riccię

stationem admouerunt altitudine muros superantem; in qua XX. homines stabant, qui sclopettis ex munitione præsidium arcerent. Quam nostri vno primum tormenti globo petiuerunt; sed incassum ille emissus, tum petitam altero globo confregerunt, iniectoq; multo igne, atq; in materia adhærente momento tēporis aliquot dierum opus incensum est. Quod spectaculum nostris risum, & lætitiā, hostibus iram, & dolorē peperit ex delusa sine vllō certamine industria. Atq; etiam nostri in Castella cuniculum in planitiem quandam egerant, vnde pugnare turcæ præ munimentis consueuerant, multumq; pulueris tormentarij supposuerant, quem inter pugnandum in hostes incenderent: sed re a transfuga quodam patefacta, turcæ locum ad frangendum dolos adierunt; quos excubitores ad pugnam uenire arbitrati, dum alios ad certamē vocant, illi interim puluerem sustollunt; sublatumq; nostri ad cuniculum accurrētes viderunt. Ita res variant, alternantq;, ac quibusdam vicibus secunda aduersis cōpensantur. Nec semel quidem in Castella vtrinq; cuniculis tentata res est. Et iam fere omnis ad oppugnandū pertinens materia consumi turcis; omnisq; generis commeatu deficere. Quam obrem Mustapha ira, & dolore permotus, quod neq; vi, neq; pactione vlla bellum conficeret; statuit iterum pugna belli fortunam experiri, ac prælio præfens interesse; si quid magis imperatoris conspectus aut metu, aut pudore milites ad certamen accenderet. Eductisq; ad pugnam cohortibus ita loquutus fertur. Quid incusum nescio, meam ne sortem? an ignauiam vestram, & inertiam? Pudet dicere tot milites turcas paucos hostes nominis Christiani sine fossa, sine muro, sine vallo, sine munimento vllō, labore, æstu, prælijs fessos, fractosq; nondum potuisse deuincere, & in patentes adeo murorum ruinas introrumpere. Quonam illa gloriosa verba, quibus vos bello meliores esse iactabatis, & scelestissimorum piratarum interitum, atq; insulæ vastitatem minitabamini verbis, quam

rebus ferociore, vix digni modo militis nomine? Gloria-
 bamini vos paucis diebus insulam vastaturos, ac eucligio
 Sicilia, & Italiam inuasuros: & elapso quatuor mensium
 spatio nihil dum preclari a vobis gestum est. Illis semper
 ex vestra ignauia animus, viresq; auferunt. Non est in
 verbis sita virtus belli: in victoria gloriari etiam ignauo
 licet. Aut nunquam venisse ad bellum oportuit; aut ubi
 veneris pro te rem strenue gerere. Vna ignauia, & fo-
 cordia multorum malorum causa est; negligentemq; vi-
 ctorem a victo mars ipse percillit. An eorum ora per-
 horrescitis, quibus terrori esse debetis? Quo vultu, quo
 ore infecta re ad nostros reuertemur? qua belli gloria or-
 nati? qua preda onusti? qua virtutis militaris premia a So-
 limanno sperabimus neq; expugnata Melita, neq; libera-
 tis captiuis, & tanta nostrorum iactura? An huc mandum
 hic esse ducitis in tanta rerum inopia? Recordamini per
 Deum immortalem vestrarum coniugum, & liberorum,
 quando nulla militaris gloria vos mouet. An illis auxilia
 veniant expectatis? Quos nunc minus superatis attritos,
 profligabitis fortiores? Quanta illis audacia crescet, & te-
 meritas, si vestras modo manus effugiant? An imitabi-
 mur inexpertos, & ignauos homines? qui si prelium ali-
 quod male successerit, semper tandem fortunam metuunt?
 omnemq; victoriam desperant? errat, qui in bello om-
 nes euentus aduersos timet. Saepe in bello paruis momē-
 tis magni casus intercedunt. Pudeat suę quemq; ignauię
 ignauusq; est, qui dedecus, & turpitudinem non horret.
 Incitate, incitate vos inuicem ad pugnam, ne agni contra
 lupos, lepores contra canes, tyrones contra veteranos pu-
 gnare videamini. Quo sibi quisq; minus parcat in prelio
 eo tutior erit, atq; praestantior. Si hanc vnam pugnam
 fortiter gesseritis, bellum patratum est: solum de premijs
 cogitandum erit. Quod si neq; vestrorum recordatio,
 neq; vestra gloria, neq; vtilitas vlla vos mouet, at mei ra-
 tio moueat. Nam ex ignauia militis inuritur imperatori

macula turpitudinis; atq; odium, & contemptus ex aduersa fortuna conciliatur. His ego de causis hodierno die statui virtutem vestram experiri, ac cuiusq; virtutis, & ignominia spectator, & testis adesse. Aut me victorem hoc die declarabitis, aut spem omnē victoriæ mihi ex animo delebitis. His dictis Mustapha militum animos ad pugnam excitat. Ex altera quoq; parte nostrorum duces suos hortatur, ne viribus, animoue deficiant, sed alacres, & fiducia pleni certamen suscipiant. eundem esse hostem, & arma, eundem militem barbarum, qui toties pulsus, toties victus cesserit, quiq; non sponte feratur ad pugnam, sed cogatur vi, minis, atq; verberibus: & quos integros toties repulissent, vt debilitatos modo, fractosq; contemnerent. Cognoscere iam eos quantum in virtute præsidij sit: qua nihil arduum est adeo, quod non facile consequantur. Committitur itaq; præliū, & ingens clamor vtrinq; attollitur ad augendum suis, & confirmandum animos, terrorē vero hostibus inferendum. Nostri ad obtinendum decus, & salutem, illi ad vincendum, & delendam ignominiam magis, magisq; annituntur. Postremo inclinante se ad nostros Marte, in illis metus verecundiam vicit. Christianis neq; vt defessis, neq; vt paucis aut studium ad pugnam, aut res vlla defuit ad virtutem: & quo magis nostrorum animi confirmati sunt, eo minus in turcarum mentibus Bassæ verba, & hortationes inhererunt. Mustapha vt pugnam, minus ex sententia processisse videt, animum ad expugnandum oppidum aduertit. Igitur altero die, qui extremus fuit mensis Augusti, cum duobus militum millibus ad perspicendum ex propinquo oppidi situm, & moenia proficiscitur. quem oppidani propius venire tormentis vetuerunt; reuertentēq; ad castra inclinato ad occasum die viginti nostrorum equites porta egressi subsequuntur, atq; vltimum agmen tentantes duos capiunt; a quibus cognoscunt Mustapham illum esse, qui cum duobus militum millibus, duobusq; liberis adolescentibus ad contemplandum

dum oppidi naturam venerat. Ad quod expugnandum Iucialim Calabrum cum tribus hominum millibus, & octo muralibus tormētis mittere instituerat: sed res a Pialim, reliquisq; ducibus minime probata fuit. Minime enim expedire videbatur tot præliis diminutum exercitum in plures partes nouissime diuidi, dariq; hostibus aliquam erumpendi opportunitatem in stationem aliquam, & vallum, quæ inter se longius distant, quam quibus opem ferre momento possint. Atq; inde orta est inter principes tûrcas dissensio. Nam Pialim velle discedere, incolumetti classem reducere, fortunæ mutationem, & vices formidare, vt ne improviso a Christiana classe opprimatur, quæ admôdum ipse nuper ad Meningem Christianos oppressit: Adem reliqui trierarchi sentire: tum milites omnes & tædio malorum, & metu Christianæ classis onera militiæ recusare: postremo commeatus, & reliqua necessaria deesse. Quamuis enim cibaria in sex menses comportassent, tamen pars corrupta, pars ab expugnatione D. Erasmi largius distributa fuerunt; quod in animum induxissent breui temporis spatio cætera loca expugnatum iri. At Mustafa tyranni dominationem vereri, eiusq; animi incertus nolle obsidionem ex se dissoluere: quin subsidia, & commeatum sperare, quæ missurum se iam scripserat Solimannus, non leuiter tamen admirans tantam suorum stragem esse factam, neq; dum reliqua propugnacula expugnata, quæ faciliora captu, quam D. Erasmi describebantur. Verum interea, quæ minus oppugnationi vsû sunt, in naues imponunt, nauigia ad protectionē instrunt, nauim, quæ ex Meninge commeatû ferat, expectat. Sed captam eam fuisse ad Pachynum ante diximus. Nihilominus deintegro Castellam magno impetu adoriuntur, si faueat aliquando fortuna. Neq; hæc pugna aliter cesit, quam priores. Et in cuniculo, quem nostri rescecrant, suppositus tormentarius puluis inter pugnandum incensus derepente, atq; inopinato illorum multos erumpentibus

DE BELLO

loco flammis excussit. Tunc grauiore quadam ira, & dolore stimulati, tanquam ex omni spe victoriae deieci omnibus tormentis vndiq; naues, tecta, moenia temere, & aterrime feriunt: vt maioribus odijs certare dicas illos, qua viribus. At Gartia, vbi tranquillitas extitit, ex Aegusa discedit; nec Auriam in Linosa reperiens, nisi duos homines, quos ille cum literis reliquerat, doctus; quae acciderant, veritusq; maiora, nec praeterea fumo signa, quae forte voluisset, aspiciens, quod Melitam sub sinistra haberet, ad Puzallum reuertitur: quo & Auria ex Leocata aduenit. Vnde iterum animatus soluit: ac nocte Gaulon circumuectus, vt omnem hostilem aspectum aufereret, & sublatis vndiq; ex composito ignes intuitus, atq; ab exploratorijs nauiculis, quae praebant, quasi per manum semper accipiens omnem Melitae oram ab hoste vacuam, & tutam esse, illico breui freto transmissis primo lucis aduentu ad Melegam appellit commodiorem tum quidem, & propinquiorem, magisq; in conspectu locum, sed ab oppido longiorem, paratisq; scaphis actutum copias exponit XIII. quam Sycacus profectus est die VII. Id. Septembris. qui dies Natiuitatis B. Mariae Virginis profectus est. Nec vlla vspiam visa est in itinere hostilis classis, quae duci nostro aut metum, aut suspicionem aliquam iniiceret: vna modo actuaria nauis, quae Tripolim profecta fuerat, videns Christianam classem Gaulon versus ferri statim iter retro vertit rem Basis nuntiatura. Gartia postremus in terram egressus, summa cum alacritate pauca loquutus est. Quod optabatis ex voto euenit: expositi estis incolumes absq; vlllo discrimine: no dubium est, quin reliqua prospere succedant. Delecti duces, delecti milites facite, vt e maiestate, & dignitate regis Philippi, pro vestra virtute, & industria rem ita geratis, qualis est omnium expectatio. Post haec in praetoriam nauem conscendens, ac praeter sinum B. Pauli perlatus, ingente bombardum strepitu vniuersa classe edito cursum tenuit ad Pachynum. Ceterum hoc

hoc ipso die turcæ magnis Mustaphæ precibus, & lachry-
 mis permoti, vt tandem hanc vnam extremam belli for-
 tunam totis viribus periclitarentur, summo mane ad in-
 uadendam insulam Sengle fossæ successerant quatuor mil-
 lium numero. Quos quidam eques incitato cursu adue-
 niens ex fossa ad castra subito reuocauit. Nostri subita,
 & inopinata re obstupentes primum arbitrati sunt ortum
 inter illos aliquod fuisse dissidium: mox vt exposita Chri-
 stiana subsidia intellexerunt, ingenti lætitia exultarunt.
 Quibus, & si fortiter semper restitissent, facerentq; ani-
 mos, & spem bonam secunda prælia; tamen multorum
 eadē, & vulneribus re ad paucitatē redacta, multisq; rui-
 nis manibus, & propugnaculis excisis, omnis pugna me-
 rito timenda erat; vt contra hostibus semper in incerta
 fortuna bene sperandum. Ad oppidum quoq; nuntio ap-
 pulsæ ad Melegam Christianæ clas̄is, expositiq; in terram
 exercitus a duobus melitensibus viris confectam allato in-
 credibiliter excitata ciuitas est: vixq; animo tantum gau-
 dium concipiunt: quibus in tanto metu, & discrimine
 tanquam ex machina Deus affulisse videtur. atq; effusa
 gratulatione cum iumentis obuiam procedunt omnes ad-
 ferenda onera pueri, senes, viri, atq; mulieres. Apud tur-
 eas repentino tumultu ab imminēte hoste totis castris tro-
 pidatur: augetq; in maius omnia metus. Alcanius vero
 Corneus ad dicendum pariter, & pugnandum acer, &
 promptus, cupidusq; ostentare virtutem his verbis allo-
 quutus milites est. Longa me vti oratione commilito-
 nes & angustia temporis vetat, & vestra virtus. Quem in-
 locum expositi simus videtis. Omnis spes in armis habenda
 est. Aut fortiter nobis occumbendum in prælio, aut
 vincendum est gloriose. In insulam expositi sumus, in
 qua & ab vndis, & ab hoste receptum aliquē habere pro-
 hibemur: neq; nobis alimenta sunt in plures, quam vnum
 mensem: vt hoc temporis spatio conficiendum bellum sit;
 ni ferro, & quæ bello grauior est, fame oppugnari velimus.

DE BELLO

Inspicite redeuntem classem, & quantis huc difficultatibus appulsa sit; animo reputate; intelligetis profecto nulla nobis speranda subsidia: virtute, quæ ex difficillimis facilissima redigit, omnia incommoda expianda: ferro salutem, & victoriam conquirendam esse. Et bene quidem sperate, & rem strenue gerere multa nos hortantur. Nam pro nostra primum religione, tum pro dignitate, & maiestate regis Iulii Philippi; denique pro tot clarorum, & illustrium virorum salute bellum hoc gerimus. Ad hæc contra barbaros homines, rudes artium militarium, fessos, fractosque recentis; & integri, militumque scientes Christiani bellamus. Iucetque illis copiarum numerus amplior sit, tamen non multitudo; sed ordo exercitus prudenti militi spectandus semper est. Bellorumque peritia in armando, & instruendo ad pugnam milite tota est nostra: illis omnia perturbata, & ad nocendum, & tegendum arma non satis idonea. Freti solum multitudine voce sunt magis, quam factis horribiles, & aspectu, quam re ferociores. Quare hostem audacter cum clamore inuadunt; cum vero primum obstititur, cuestigio cedunt inertes, imbellesque homines sine ordine militari, sine armorum apparatu, & disciplina. Nec sane alijs rebus parua manus saepe ingentem exercitum profligauit, quam industria, & virtute. Quid igitur timendum; aut quid non bene sperandum est industrio, & generoso militi ad pugnandum sua sponte parato, in tam æquo, & religioso bello? Harum vos certe rerum si memores eritis, non nisi vobis digna feceritis. Post hæc vniuersum agmen in proximum collem subuectum leuiter a litore procedit: triduumque conuulendis in oppidum omnibus rebus consumitur. Quo vbi omnia contulere, in Suburbio, quod Rabbata melitenses appellant, caltramentantur edito loco; & aquis copioso. Quibusdam modico presidio com meatui relicto in hostes ut defessos, & turbatos protinuseundum videbatur: sed intelligebant alij turcarum copias ampliores esse, neque eos ita imparatos, quin resistere

resistere semper possint: commeatum, quod nō longe ab-
 sit a litore, aliquo hostium interuenta paruo negotio ca-
 pi posse: eo deperdito desperatam sibi esse non victoriam
 modo, verum etiam salutem. Hostis si abeat, solutam esse
 obsidionem; se id consequutos cuius gratia venerant; nul-
 lam aliam fortunam esse tentandam: sin persistat, tum &
 castra, & arma prudenter, & audacter propius opponen-
 da. Et raptim, & turbate turcæ in naues omnia rapiunt,
 ne quid hostibus prædæ relinquunt: quæq; nulli vsui futu-
 ra sibi sunt res, & iumenta igne ac ferro cadunt, incen-
 duntq;. Vnum modo æneum, ingensq; tormentum in
 Bormora relinquitur: quod machina effracta, metuq; pro-
 pe iminentium armorum pertrahere nequeunt. Post-
 quam in naues omnia imposuerunt, Marzamuscetti fau-
 ces egrediuntur. Hic a quibusdam perfugis (quorum ma-
 gnus numerus ad vtrosq; fuit hoc bello) intelligunt Chri-
 stianorum militum numerū esse opinione sua longe mi-
 norem: vix quinque hominum millia transucta, bonamq;
 partem illorum salo, nauæa, ac iactatione maritima con-
 siliatam nō posse armis sustinere: imperatores quoq; plu-
 res, eosq; inter se inuidia, odijsq; diuisos. Equidem & in
 Drepanum, oppidum Siciliae ad Lilybæum promontoriū
 non longe ab Aegusa, & in Puzillum ex IX. millibus
 mille fere milites descendentes nauigationem amplius se-
 qui aut nequiuerant valetudine, aut noluerant uel ex ani-
 mi timore, uel ex opinione nunq; exponendi in Melitam
 exercitus. Et imperatorum nostrorū dissensio turcis pro-
 babilis videri; quod nullum vnquam tot diebus nouum
 hostem vidissent. Tum de profectioe Mustaphæ mentē
 illa quoq; maior, quam antea subiit cogitatio: videri illā
 e timore natam, fugæq; consimilem. Ideoq; metuendum
 esse animum Solimanni, si nullam iustam rationem red-
 dere possit, cur obsidionem dissoluerit, atq; e Melita re-
 cesserit nec euocatus, nec expulsus. Habito igitur inter
 primarios duces consilio (quibus turpe visum est, nec pro-

imperatorum prudentia res ignotas adeo formidari, quæ
 humanum ingenium plus æquo terrere videntur) X. mil-
 lia militum, e navibus in terram silente nocte educuntur;
 & ipsi quoque Basiq descendunt ad dimicandum prælio, si
 reserat, cum nouo hoste; quem non desperant posse sa-
 cilius debellari, quam oppugnatas arces expugnari; eoq;
 debellato desperatum fore obsessis vniuersum auxilium;
 desperato auxilio bellum esse confectum. Et ne temere,
 aut turpiter eadem via retrocederent, si tentata res aliter
 cederet, classem ad sinum B. Pauli lente oram legere ius-
 serunt, quo de flecterent. Cuius cõsiliij M. Magister a quo-
 dam perfuga certior factus, statim per militem Hieroso-
 lymitanum præpositis exercitus rem nuntiat. Qui nõ Bas-
 forum modo consilium exposuit, sed illud etiam adiecit;
 magnum se turcarum agmen XV. millium hominum in
 terram expositum vidisse, instructumq; procedere via, quæ
 fert ad oppidum. Ad hoc nuntium Ascanius Corneus
 quid sui consilij sit præsentibus proponens, Videri sibi
 militem in castris continendum esse: quibus tueri
 se aduersum non XV. modo, sed XL. millia militũ pos-
 sunt. At si obuiam procedant, grauem armaturam, quæ
 bona pars est exercitus, non satis bene in tanto æstu sub-
 sequi posse: tum temeritate potius tentari, quam virtute
 fortunam. Quod si ad oppugnationem castrorum hostẽ
 alliciant, ingentem pro se stare victoriam. Nam quo ille
 propius accesserit, eo longius a suis aberit: cum recipere se
 volet, tunc erumpentes nos ad vnum omnes facto impetu
 e superiore loco opprimemus. Sin vero illi forte procul
 ostentata inani quadam audacia e via ad litus diuertant,
 indeq; discedant, partam esse hostium profectioe victo-
 riam. Quam prudentiores imperatores magno precio re-
 dimendam semper esse putauerunt. Atq; inde militibus
 arma, & animos expedire pronuntiat, ac pro se quicq;
 locum defendere. Dumq; hæc eadem italis imperat, qui
 aliam ab hispanis stationem habebant, hostes aduersum
 ferri

ferri composito agmine cernuntur: ac rumor per vniuersam exercitum perfertur. Quo excitus Aluarus Sandeus (neq; enim illum ante nuntio interfuisse aiunt) e tentorio profilit, ac trecentos sclopettarios hispanos, expeditissimos homines statim extra castra educit, imminentemq; via collem longe a castris occupare iubet. Quod cernens Ascanius testatus est sine suo consilio hæc geri ex audacia magis, quam ex arte militari. Nec Aluarum hæc verba mouerunt. quin alios post alios egredi extra munitiones imperat. Malle barbarorum audaciæ audaciam, militumq; virtutem obijcere. Aegre igitur communi mente vtuntur. Verum hispanorum primi semper intrepide progrediuntur, atq; eminus hostem sclopetis laceffunt. Qui subito minus sperata nostrorum audacia magis percussus, paulisper primo consistit, dubiusq; instantibus nostris certamen detrectat, declinansq; via ad sinum B. Pauli signa dirigit. Nostrorum primi elati hostium declinatione irruere, reliqui castris effundi, vniuersi acrius insequi. Ipsi quoq; ductores magno animo inter primos procurfant, adduntq; præsentia militibus animos, & cohortationibus ad virtutem, & gloriam incendunt. Quoq; maior vrget hominum vis, eo grauior terror turcarum pectora inuadit; & crescente magis metu gradus ad mare, & naues ocyus acceleratur. Pauci consistunt, commissamq; pugnam momento relaxant. Tandem ad Benoratam oram non procul a sinu B. Pauli, vbi tendentes illos clasfis vniuersa præstolatur, validiore impressione impelluntur. Dumq; alij fessi, lasiq; corpora prosternunt, alij trepide cedunt, alij tumultuosius scaphas cõscendunt, imminentibus semper acrius nostris totum agmen turcarum turbatur, & ceditur. Timor in omnium, desperatio in multorum oculis eminent. Nostris hinc inde premere, fundere, ferire, occidere. Edictoq; cauetur, ne quis præda intentus detineatur, omnes ferro extinguant. Nam molestum est itinere, & æstu defessos hostes, & iam iam animam expirantes

DE BELLO

ad oppidum adducere; viuos relinquere præter rem est, neq; par esse ducunt tantam crudelitatem, qua semper in nostros sæuierant, nunc postremo inultam abire. Sic quibus voluntarie obsidionem dissoluisse turpe videbatur, eos postremo vis Christianorum cum duorum sere milliū nece expulit, nullo a nostris accepto detrimento. Igitur postero die II. Id. Septembris ad sua discedunt, facta toto bello militum iactura XV. circiter millium, naualis turbæ VIII. Et M. Magister cunctis metu solutis, desideratis CCCXVII. Hierosolymitanis militibus, alterius generis duobus millibus, & quingentis, in diem dominicum supplicationē decreuit, qua Deo immortalī pro tanta victoria, & communi omnium lætitiæ meritæ grates agerentur.

IO. ANTONII VIPERANI DE BELLO MELITENSI HISTORIAE FINIS.

PER V S I A E.

Ex Officina Andree Brixiani Anno Domini.

M. D. LXVII.



The first part of the document
 discusses the general principles
 of the proposed system
 and the various methods
 of implementation.
 It is intended to provide
 a clear and concise
 summary of the main
 points of the report.
 The second part of the
 document contains a
 detailed description of
 the various methods
 of implementation.
 This part is intended
 to provide a more
 complete and detailed
 account of the various
 methods of implementation.
 The third part of the
 document contains a
 summary of the various
 methods of implementation.
 This part is intended
 to provide a clear and
 concise summary of the
 main points of the
 report.

THE PROPOSED SYSTEM
 OF THE REPORT
 IS INTENDED TO
 PROVIDE A CLEAR
 AND CONCISE
 SUMMARY OF THE
 MAIN POINTS OF
 THE REPORT.

The following table
 shows the various
 methods of
 implementation.
 The first column
 shows the name of
 the method, the
 second column shows
 the description of
 the method, and the
 third column shows
 the advantages and
 disadvantages of
 the method.

Method	Description	Advantages	Disadvantages
Method 1
Method 2
Method 3
Method 4
Method 5

The above table
 shows the various
 methods of
 implementation.
 The first column
 shows the name of
 the method, the
 second column shows
 the description of
 the method, and the
 third column shows
 the advantages and
 disadvantages of
 the method.



MC

